Maffei

Libri tres Sixti Quinti

[illegible]

[illegible]

GREGORII XIII

[illegible]

SIXTI QUINTI

[illegible]

JO: PETRI

MAFFEJI

BERGOMATIS

E SOCIETATE JESU

HISTORIARUM AB EXCESSU

GREGORII XIII.


LIBRI TRES

SIXTI QUINTI

PONTIFICATUM COMPLEXI

Ex interioribus Romanis Tabulariis depromti

NUNC PRIMUM PRODEUNT.



BERGOMI, MDCCXLVI.

EXCUDEBAT PETRUS LANCELLOTTUS

EX AUCTORITATE SUPERIORUM.

JOANNIS PETRI MAFFEJI

E SOCIETATE JESU

HISTORIARUM AB EXCESSU

GREGORII XIII.

PONT. MAX.

LIBER PRIMUS.

RES in Ecclesia Dei, Christo duce, ac præside gestas consignare literis jam inde ab Apostolicis temporibus institutum, ne posteri quidem omisere, vel sua sponte, vel jussu, decretoque Pontificum. Quibus e monumentis, quoniam longo sæculorum decursu, variisque casibus non pauca interciderunt, extitisse lætandum est hac hominum ætate viros, & pietatis & industriæ laude præstantes, qui veterum scripta e tenebris, ac ruderibus eruta in ordinem redigere, totamque seriem Ecclesiasticæ historiæ in hanc usque diem perducere ingenti labore conentur. Quorum ego optima studia ut pro virili parte adjuvarem, extrema statim occupando festinantibus obviam ire, ac veluti conserta manu orbem narrationis implere constitui. Neque ut cetera desint, aberit fides, quando me a sæculi fluctibus atque ambitionis æstu longe semotum, neque gratia, neque odium a recto sensu detorquet: & mihi ad cognoscenda rerum eventa non solum, sed etiam eventorum caussas atque consilia, præter communem vulgi notitiam interiores Principum literæ, atque ipsa demum arcana tabularia patuerunt.

Gregorio XIII. vita functo (cujus Pontificatus annales vulgi sermone jam ante confecimus) & exequiis rite persolutis, Patres unde-

quadraginta (neque enim plures in Urbe tunc erant) Conclave inierunt. Supervenientibus dein peregre tribus, duorum & quadraginta expletus eſt numerus. Ab his ad fidem officiumque, & publica oratione, & ſacra Euchariſtia, & ſolemni jurejurando excitatis, de novo Pontifice eligendo agitari cœptum eſt. In eo clariſſimorum hominum cœtu, cum e Principibus huic nimiæ opes, illi morum auſteritas, quibuſdam rerum gerendarum inſcitia, pleriſque turba propinquorum officeret; ea ipſa procerum incommoda, viam ad ſummum honoris culmen Felici Peretto Montalto patefecere. Is in Picentibus humili natus loco, verum acri ac ſolerti ingenio, Minorum inſtituta profeſſus, inſignis primum Concionator evaſit: mox ad Sanctæ Inquiſitionis honorata miniſteria adſcitus, comes etiam & aſſecla in Toletana cauſſa Ugoni Legato in Hiſpaniam datus, ac præterea multis in Catholica Religione tuenda laboribus periculiſque perfunctus, Epiſcopatu Agathenſi, ac ſacra demum purpura a Pio V. Pontifice Maximo decoratus eſt. Poſt obitum Pii a cognatis & clientibus admodum inops, in Exquilino ſeceſſu quietam vitam (quoad per Senatorias functiones licebat) cenſu modico, Sanctorum Patrum libris emendandis per aliquot annos exegit. Neque tamen ſuas interea ſpes felicitatemque deſtituit, miro obſequio, mira ſubmiſſione, & (quemadmodum ipſe poſtea referebat) e Senecæ doctrina, injurias accipiendo & gratias agendo, potentiſſimum quemque, & ipſos præcipue Cardinales ſibi conciliare perrexit. Eo facilius proximo interregno, dum Principes inter ſe contendunt, adnitentibus Ateſtino, Mediceo, Bonello, Philippo etiam Boncompagno in ſocietatem illecto, ad apicem Apoſtolatus evehitur octavo Kal. Majas, anno poſt Chriſtum natum MDLXXXV. Sixti dein Quinti nomine aſſumpto, & cærimoniis de more abſolutis, ad purgandos latrociniis Eccleſiaſticos fines, ante omnia curas intendit. Per eos quippe annos vagi, obærati exules, capitalia auſi plerique, ad prædam rapinaſque congregati, incendia, cædes, terroremque circumferendo, non modo fertiliſſimos Italiæ campos, verum etiam Caſtella, Urbeſque, & ipſa denique Romana ædificia, per ſummam indignitatem, infeſta reddiderant. Magna etiam erat omnibus fere locis impunitas gladiorum, & ſuperato legum auxilio alacris, tamquam in victoria, volitabat improbitas. Adverſum peſtes ejuſmodi Sixtus quam ſeveriſſima levibus etiam de cauſſis exerceri judicia, precibus, pretiove nullum dari locum, ſublatis aſylis, maleficos atque Sicarios palam reſiſtentes occidi, fugientes retrahi, latitantes indagine cingi, nihil inexpertum relinqui curavit. Gravia ſupplicia cognatis ipſorum, amiciſque, ſi quempiam hoſpitio recepiſſent, aut ulla juviſſent ope, propoſuit. Contra ſi quis ex ipſa latronum colluvione aliquem eorum interfeciſſet, vinctumque tradidiſſet; ampla & edixit præmia, & cum fide perſolvit. Uti conſcelerato bipedum generi, cibo tectoque interdiceretur,

retur, a finitimis quoque Dynaſtis atque Prætoribus, per mutuas pactiones obtinuit. Per hunc fere modum Eccleſiæ Romanæ magno omnium Ordinum gaudio reddita pax. Et Sixtus alliciendis porro ad arcem Chriſtianæ Religionis undequaque mortalibus, in Urbe novis operibus exornanda, cum Superiorum Pontificum magnificentia nobile certamen inſtituit. Ac primum Quirinales miræ amœnitatis Hortos humoris inopia laborantes, producta ex agro Columnæ a vigeſimo fere lapide perpetuis fornicibus aqua, affatim irriguos fecit: quod e prioribus multi cogitaverant, auſus fuerat nemo. Eam ipſe aquam egregiæ cælaturæ lacubus, aut labris non uno loco exceptam a priſtino ſuo nomine Felicem appellavit. Egyptios inſuper Obeliſcos quatuor vel ſemiobrutos ruinis, vel etiam alte defoſſos, celeberrimis Urbis locis erexit, atque a nefaria ſolis veneratione (cui decepta olim eos conſecrarat antiquitas) ad veri Numinis cultum defixa in vertice Cruce, traduxit. Eximiæ artis ac proceritatis columnas cochlides Antonino, & Trajano olim poſitas, Petro, Pauloque inclytis Eccleſiæ Romanæ Parentibus cum inaurato utriuſque ſigno, dicavit. Vaticanum admirandæ celſitudinis aſpidem e Michaelis Angeli typo, itemque in peramœnum Urbis, Villarumque proſpectum, aperto ac ſalubri loco, novas miræ pulchritudinis Ædes extruxit. Bibliothecam Apoſtolicam ex area ſquallenti ac depreſſa, maligno lumine, in editiorem theatri Medicei partem junctis porticibus extulit, varioque picturæ genere decoravit: inter alia repetitis ex ultima antiquitate, ac non ſine proprio cujuſque elogio, redditis omnium ferme literarum, ac doctrinarum inventoribus. Bibliothecæ huic in cuſtodum uſus amplas adjecit ædes, annoque vertente (quod hac tempeſtate mirere) totum opus abſolvit. Idem in Exquilina Mariæ Virginis Æde, ornatiſſimum excitavit Sacellum, translato in id Præſepio, quod olim, obſtupeſcente natura, Conditorem humani generis excepit. Super hæc ad anguſtiſſima Urbis Templa vias latas aperuit, direxitve ſex, magno populi commodo. Hæc & alia multa ſui Principatus monumenta, dum Sixtus ingenti parat mercede, ac ſimul tuendo, vel etiam proferendo, ſi caſus daretur, imperio, ſubſidia ſine fine conquirit; omnes rei nummariæ vias inire coactus, adverſo plebis rumore, dubium fecit, largior ne in profundenda, an accuratior in reponenda pecunia fuerit: quippe cum idem & ædificiis auri decies tulerit expenſum, & ferme quinquagies in Hadriani mole reliquerit, omni cautione per ſacram legem adhibita, uti ne quid a poſteris de tota ſumma temere detrahi poſſet. Inſuper idem auri ducenta millia, partim collocandis in matrimonio puellis egentibus, partim iis, qui civiles ob cauſſas ære alieno premerentur, e cuſtodia liberandis attribuit. Alimentis quoque Populi Romani, & peregrinorum intenta ſemper cura conſuluit: ac depoſitis adverſus frumentariorum aviditatem ducentis aureorum millibus, & ubi tempora poſtularent, dimiſſis quoque

alio

alio emtoribus, laxioris Annonæ, cum omni copia rerum, toto ferme ſuo Pontificatu, haud immeritam laudem & gloriam tulit: eidemque ænea ſtatua in Capitolio eſt collocata cum inſcriptione hujuſmodi. SIXTO QUINTO PONT. MAX. OB QUIETEM PUBLICAM, COMPRESSA SICARIORUM, EXULUMQUE LICENTIA, RESTITUTAM: ANNONÆ INOPIAM SUBLEVATAM: URBEM ÆDIFICIIS, VIIS, AQUÆ DUCTIBUS ILLUSTATAM S. P. Q. R. Hæc maxime in populari adminiſtratione præclara Sixti facinora celebrantur. Neque tamen idem in Sacris Ritibus, placitiſque, & in Eccleſiaſtica libertate vel tuenda, vel augenda (quæ propriæ Pontificum partes ſunt) quoties occaſio oblata, ſegnem inertemque ſe præbuit. Quo tempore Pontifex renunciatus eſt, Japonis Oratores, novum ab Urbe condita ſpectaculum, in Romano Jeſuitarum hoſpitio verſabantur. Hos a Gregorio benigniſſime nuper acceptos, ac de futuri Principis (ut fit) erga ſe voluntate ſollicitos, confeſtim Sixtus tanta charitate complexus eſt, ut omnem iis de amiſſo optimo parente ac patrono mærorem abſterſerit. Quippe ad interiorem conſuetudinem comiter admiſſos in Lateranenſi pompa proximo ſibi loco dignatus eſt. Dein ad Altaris miniſteria regium in morem adhibitis, ſua ipſe manu (quod ii plurimi fecere) Chriſti corpus impertiit: poſtremo ad omnem virtutem ac pietatem gravi adhortatione accenſos, ac magnifice inſuper donatos, immortalem habentes gratiam abs ſe dimiſit. Illi cum honeſtiore quam venerant, comitatu, Lauretana peregrinatione ſuſcepta, perque eam occaſionem aditis clariſſimis Italiæ Urbibus, & quam effuſiſſimo ſtudio omnibus locis accepti non ſolum, ſed pretioſis etiam muneribus aucti, conſcenſis in Genuenſi portu triremibus, biennii fere navigatione incolumes in patriam revertere. Ibi dum certatim apud populares quoſque ſuos mira quædam de Pontificis Maximi beneficentia, de Romanæ Eccleſiæ ſanctitate, de Italiæ pulchritudine, ſplendore, moribus, opibuſque, de Hiſpani Regis (quem in reditu reviſere) clementia, & majeſtate deprædicant; non parvo ſcilicet in illa regione, Chriſti ſervitiis, ad eam excolendam vineam, firmandos in fide neophytos, propagandum longe lateque Evangelium, adjumento fuere. Eodem Pontificatus initio Sixtus, infirmitatis humanæ ſe conſcium, ac tantæ molis minime capacem affirmans, peramplo Jubilæo propoſito, ad ſuſtinendum omnia regendi onus, & rite exequenda cuncta Reipublicæ munia, populi Chriſtiani univerſi vota preceſque vehementer expetiit. Et is erat ſane ſtatus rerum, & conditio temporum, ut ab ejuſmodi curatione ſanum quemlibet, nec ope Divina ſubnixum, abſterrere poſſet, vel difficultas operis, vel periculi magnitudo; cum haud pridem laceris, ac miſerandum in modum avulſis a capite nobiliſſimis Eccleſiæ membris, reliquæ partes, atque ipſa tum in primis Gallia, Italiæ, Hiſpaniæque contermina, laboraret. Ejus morbi cauſſas & incrementa paucis expediam. Poſteaquam Lutherii, dein aliorum, &

Cal-

Calvini præſertim ſcelere ſeptentrio vitiatus eſt; flagrante per ea tempora maximos inter Europæ duos Reges exitiali bello, cum e Germaniæ finibus propinqua ſubinde auxilia conducere Gallus, & quorum egebat ope, iis, & vivendi, & opinandi licentiam permittere cogeretur; ſerpere paullatim dira lues, & per mutuos uſus proxima loca, mox etiam interiores nationes, nec modo multitudinem, ſed etiam nobilitatem ipſam, atque adeo quoſdam e Regia ſtirpe cœpit inficere. Non fefellerat orientis mali peſtilens afflatus Henricum Regem cognomine ſecundum: atque ut e Chriſtianiſſimi titulo, quem gerebat, Catholicæ fidei, apprime retinens, & e ſpecula cui inſiſtebat, in poſterum erat valde proſpiciens; ad ea ſemina quamprimum elidenda omnes animi ingeniique intenderat vires. Sed ira procul dubio Numinis in Gallicam rem, dum pacta ob id ipſum cum Hiſpano Rege per Filiæ nuptias pace, ludicra certamina ipſemet inconſultius celebrat, per male obſertam caſſidem letali vulnere accepto, afflictam Galliam, viduam Catharinam, & ex ea, præter feminas (quibus nil juris Gallicum in Regnum eſt) virilis ſexus tenera admodum ætate reliquit filios quatuor. E queis Franciſco quartumdecimum agenti annum, paullo poſt ſuſcepta gubernacula non ſine veneni ſuſpicione defuncto; Carolus generoſa indole puer non plus undecim natus annos, trienni matris, ac procerum tutela ſucceſſit. qua finita protinus ad hæreticos tollendos incubuit: atque uno die, qui fuit Sancto Bartholomæo ſacer, uno nuncio pluribus locis ingentem ipſorum numerum, in iis Gaſparum Colignium rei maritimæ Præfectum, inſigni audacia & calliditate virum, nova & atrocia meditantem, e medio ſuſtulit. Quamquam hæc tam præclara Caroli pietatis, atque ſinceræ in Eccleſiam fidei documenta, non defuere qui ſecus inteepretrarentur. Siquidem habeo locupletes Auctores, qui cædem ejuſdem nequaquam a ſtudio religionis, aut ab hæreticæ pravitatis inſectatione profectam affirment. Sed Colignium cum ſuper inſitam vafritiem armis opibuſque præpollens, atque apud Regem gratioſior in dies cuncta paullatim in ſe traheret; inſtigantibus æmulis, Catharinæ juſſu, plumbea glande petitum, fortuita corporis declinatione læva manu brachioque ictum excepiſſe: decuſſo hinc pollice, & vulnere ſuper cubitum accepto, cum inter manus in hoſpitium delatus, doloris vi, & intemperantia linguæ fremeret ipſe cum ſuis, inque caput Regis, ac Principum querimoniis interjiceret minas; de ſanctioris Concilii ſententia (quando ambiguis in rebus occupaſſe tutius) immiſſis concubia nocte prætorianis in lectulo trucidatum. Dein Pariſiis, & in aliis civitatibus magnam nefariæ ſectæ partem ſubita occaſione deletam: a conficiendis reliquiis vel damni, vel invidiæ metu abſtitiſſe Carolum, accedente præſertim auctoritate matris, quæ negotiorum ſupra quam credi poſſet, appetens, per ſpeciem lenitatis ac pacis, reſidere ſemper aliquid in Regno turbidi,

haud

haud ita moleste ferebat. E reliquis duobus filiis Henricus mortuo parenti cognominis, ad Poloniæ sceptrum perhonorifico decreto Gentis adscitus. Herculi (quem postea in fratris, avique memoriam Franciscum appellarunt) Alenconiensis Ducatus est attributus. Verum ne ipsi quidem Carolo diuturnum fuit Imperium. Circumacto vix a Coronatione decennio, in ipso ætatis flore decessit. ad Catharinam e testamento, dum Henricus e Polonia revocatur, plena bracteatæ felicitatis, invidiosi laboris administratio rediit. Crebra quippe interregna, vulgi protervia, tutelares discordiæ, procerum ambitio, dum plebis commoda, & religionis caussam suæ quisque cupiditati prætendunt, ita cuncta divina pariter, & humana fœdaverant; uti florentissimi paullo ante Regni vix faciem agnosceres. Passim novæ sectæ, passim latrocinia, deseri agricultura, tolli negotiatio, coitiones, atque conspirationes in Præfectos, & Magistratus, ac Regem ipsum erumpere, judicia legesque subverti, exteræ gentes ad Civium perniciem precibus ac præmiis evocari, diripi, & solo æquari templa, Virginum septa nefarie pollui, Catholici homines, & Clerici præsertim per inauditos cruciatus pecunia, vitaque spoliari, opulenta Sacerdotia militibus, feminisque promiscue addici, denique nulla species, aut clades belli civilis abesse; veluti contacto omni Franco sanguine, rabie paucorum funestam dominationem ex patriæ occasu petentium. Hac tanta rerum perturbatione commoti (ut æquum erat) Romani Pontifices, aliique bene de Republica sentientes Reges, ac Dynastæ, ne latius vagaretur incendium, Galliæ in extremum adductæ discrimen, suppetias certatim ferre non dubitaverant; quarum beneficio collatis aliquoties cum hoste signis, felici semper exitu dimicatum est. Sed eorum culpa, qui se humano sanguini parcere, verbo jactabant, revera imperandi libidini moderari, secum esse, & otium pati non poterant; intempestivis induciis, iniquis conditionibus, mediis consiliis (quæ rebus magnis atque præclaris inimicissima sunt) corrupta subinde victoria, & præcisa dumtaxat, non evulsa letalis planta, porro fructicari non desiit. Ad ejusmodi curanda vulnera Henricus (uti dicebamus) e Polonia properis matris, & amicorum literis accersitus, firmo in Italiæ finibus exercitu comparato, si celeritatem adhibuisset, perduelles, vel si præfidentes, obterere, vel metu perculsos ad fidem, officiumque facili negotio redigere potuit. Sed in itinere adulatorum copia circumfluens, dum ludis, choreis, conviviis indulget, magnæ hostium parti, & animos ad resistendum, & ad occupandas validas præfecturas, nova concilia celebranda, & subsidia undique colligenda spatium præbuit. Inde non uno loco recruduit bellum. Id Henricus per Legatos administrabat. Ipse ad capessenda Regni solemnia Rhemos profectus, ubi primores, qui nondum mutaverant fidem, ad Sacramentum adegit, uxorem sibi e Lotharingia gente delegit, nequaquam absurde certissimum in legi-

legitima prole sibi præsidium statuens. In eam rem tota sua ditione sacrificia, & supplicationes indixit: pretiosa donaria ad celeberrima Europæ templa religiose transmisit: neque tamen iccirco voti compos efficitur. Hinc & ipsius, & Alenconii fratris orbitas, & infirma corporis habitudo, remissa armorum studia, & numquam intermissæ voluptates, paullatim in contemtum, mox etiam in odium Regem adduxere. Accedebat ad irritandos animos nimia quorumdam apud eum gratia, qui incertum quibus artibus, aula, & Rege potiti, cuncta suo arbitratu circumagere putabantur. Id cum alii, tum vero nobilitas, & ut quisque Regem arcta cognatione contingebat, ferebat ægerrime. Jam Cleri, & Populi (qui reliqui duo sunt Ordines Gallicani) ab Henrico mentes abalienaverat crebra, & multiplex tributorum, & decimarum exactio, non ad alendos tantum exercitus, sed etiam ad prodigas largitiones, & aleam, & sumtus minime necessarios: itemque Sacerdotia (uti supra memoratum est) temere ac citra auctoritatem Summi Pontificis distributa, & super hæc Sacri Concilii Tridentini; quod erat unicum malis remedium, promulgatio per summum nefas & obstinationem impedita, & vetera inter Galliæ Regem, Regnum, & Romanam Ecclesiam pacta conventa, nullo æqui, vel iniqui discrimine violata. Interea quamvis a Regiis, quoties ad certamen ventum erat, secunda semper fierent prælia; profligari tamen hostis, & debellari non poterat, propterea quod in singula trophæa per incommodos arbitros, & importuna de more seri colloquia, & indignantibus frustra bonis, a victo leges accipi consueverant. Ita, quidquid acies, ac ferrum, ad sanciendam Regis majestatem, ac refrenandas improborum cupiditates adstrinxerat, id continuo fucatæ concordiæ fœdera, & ante tempus quæsita clementiæ gloria relaxabat, ac simul ad reparandas vires, & nova ineundi consilia, æmulis Henrici præbebatur occasio. In iis longe ante alios eminebant patrueles Henrici Borbonii duo; Navarræ, & Bearnæ alter; Condeanis alter imperitans. Hi propinqua cum Rege affinitate conjuncti, parentum culpa Calvinistarum, quos alio vocabulo Hugonotas vocabant, moribus ac placitis innutriti, Colignianæ cædi Caroli miseratione superstites fuerant, ac nondum erroribus ex animo per saniorem doctrinam evulsis, malo minisque coacti per supplices ad Gregorium XIII. epistolas, & Oratores in gratiam cum Ecclesia Sacrosancta redierant, haudquaquam sincera mente. Quocirca post obitum Caroli, ut primum abiit metus; Hugonotis, quorum ope maxime nitebantur, extemplo sese reddiderant, in Regni successionem imminentes, atque ubi cetera provenissent, ad extremum (ut fit) inter se dimicaturi. Adversus horum conatus Catholici proceres, & Civitates aliquot per clandestinas legationes accito in partem Hispano Rege, occultum primo, dein patefacta conjuratione apertum in oppido Janvilla fœdus inierant; molienti-

bus præcipue Lotharingiis fratribus, Aloysio Cardinale, Henrico Guisio, Carolo Mayneo, & Dynastis, cujus familiæ quamquam haud ita pridem e Lotharingia profectæ (ex quo etiam in Gallia novi homines habebantur) tamen ob generis claritatem, & res præclare gestas, magna erat apud Regem, & omnes Ordines auctoritas. Hi ad colligendam probitatis & justitiæ famam, persancte affirmabant, sibi nihil esse prorsus in tali conspiratione propositum, nisi ut avitam Religionem ab novatorum impudentia, Regis vitam ac dignitatem a consceleratorum insidiis tuerentur; Cleri ac populorum fortunis, juribus, ac saluti vel cum aperto capitis periculo pro sua parte consulerent. Hæc, & alia id genus propalam Guisii: tametsi non desunt, qui eosdem caussæ publicæ prætextu sumtis armis, mortuo nuper Alenconio, tyrannidem affectasse contendant: quod nos haud ita compertum, in incerto relinquimus. Hoc fermi loco erat Ecclesia Gallicana, cum Sixtus pascendo curandoque Christiano Gregi universo præpositus est. Atque ut sui muneris vel in primis intelligebat esse, contactus morbidi pecoris a credita sibi caula procul arcere; infimis fœderatorum precibus, & Regis Philippi supplicatione hortatuque haud ægre se adduci est passus, ut Hugonotas, eorumque duces cælestibus armis insectaretur, atque ab omni fidelium communione separaret. Ergo Henricos, quos dixi duos, tum maxime rebus gerendis, & opibus omni ratione firmandis intentos, diri anathematis horrendo fulmine perculit, & omni jure successionis regiæ spoliatos patriis insuper ditionibus exuit, popularibus utriusque sacramento, quo se de more illis obstrinxerant, Apostolica auctoritate solutis: præpropero fortasse consilio, cum illi propositis non uno loco, ac Romæ præsertim edictis incognita caussa damnari se, paratosque ad Catholicam Religionem profiterentur, ubi primum sibi per idoneos doctores de illius, quam à primis annis imbiberant, vanitate constaret. Sane Sixtum facti postmodum pœnituisse fama est, reputantem a bono parente non statim ultima experienda; molliter imo tractanda animorum vitia, revocandam prius omni arte & patientia vel dubiam vel etiam in pejus inclinatam filiorum indolem: sæpe mora sanari, quæ exulceret alioqui festinata severitas. Quæ monita in rem præsentem egregie convenisse, eventu ipso (quemadmodum in loco reddemus) postea comprobatum est. Dum hæc ad fulciendas Galliæ ruinas a Sixto geruntur, Henricus Tertius, cui suspecta multis de caussis erat Janvillani fœderis male auspicata conjunctio, novo edicto rescissis pacis iniquissimæ legibus, quas in proximo conventu magna existimationis jactura firmarat; Navarræum per Legatos ac literas ab Hugonotarum partibus ad se pellicere, atque ad arces & oppida sibi reddenda, quæ valido præsidio locis opportunis insederat, inducere frustra tentavit. Condæus post aliquot certamina cum Catholicis vario eventu commissa, dilapso demum ob dilata stipendia exerci-

tu in Angliam trajecit: inde pecunia, & classe ab Regina adjutus, Rupellam, quæ tum erat præcipua hæreticorum sedes in Oceani litore, sese recepit, atque ibi renovato incassum aliquoties bello, ad extremum domestica fraude (ut fertur) interiit. Eodem Sixti Pontificatus initio apud Belgas (quam item Ecclesiam ex Angliæ, Germaniæque commerciis Calviniana rabies fœda laceratione discerpserat) nonnulla rerum meliorum spes affulgere visa: post asperas aliquot pugnas, & longam ac periculosam obsidionem, Alexandri Farnesii, summi Imperatoris virtute consilioque recepta demum Antuerpia, nec non sine cruore Nimega, Bruxellis, atque Mechlinia; hæretici omnes ni resipiscerent, ex earum Civitatum finibus intra certam diem demigrare jussi. Post hæc in Germania quoque ejusdem Alexandri ductu operæ pretium factum. Novesium est oppidum, paullo infra Coloniam Agrippinam ad Rhenum. Id oppidum hæretici paullo ante surreptum, pulsis Catholicis, non levi præsidio tuebantur. Clovethus præerat, & spectatus bello, ceterum ex intima Calvini perfidia. Ad eam Urbem recipiendam Farnesius, Hernesti Archiepiscopi Coloniensis rogatu, cujus in ditione erat locus, Philippi Regis mandato (qui Hernesto & propter æquitatem caussæ, & propter sanguinis conjunctionem impense favebat) cum exercitu profectus, occidente jam sole castra posuit. Postridie Hispani aliquot ad contemplandum in proximo Castellum ab hoste desertum, audacius provecti trans amnem Norsum, qui ab Oriente decurrit, cum in egregiam hostium manum repente incidissent; quadraginta e suorum numero occisis, aliis in servitutem abstractis, pleni ignominia mæstitiaque in castra se recepere. Neque lætior fuit Italicæ nationi successus; quippe dum ab secundis rebus (ut fit) negligentius vallo se muniunt, subito Calvinistarum incursu (delecti ad trecentos eruperant) munitionibus propemodum exuti sunt, fortibus aliquot viris in eo tumultu desideratis; & in iis Julio Grimaldo strenuo bellatore, & claris in Urbe Genua orto natalibus. Ægre damnum utrumque passus Imperator, extemplo tormenta muralia duo & triginta adversus Urbem tribus locis opportune locavit; ac priusquam oppugnationem aggrederetur, Caduceatorem de more præmisit, qui inclusos ad incruentam deditionem hortaretur: ipse mænibus ita successit, uti colloquentium verba clare perciperet. Petebant Farnesiani, uti Clovethus justo domino Coloniensi Archiepiscopo Urbem illico redderet, ipse cum præsidio incolumis abiturus. Contra Calvinistæ affirmare, Novesium esse Cesareæ ditionis; nihil sibi cum Hernesto negotii: si facesseret ille, sibi cum Alexandro facile conventurum. Dum hæc & ejusmodi ultra citroque jactantur, Calvinistæ aliquot præclarum facinus rati, si capitalem sectariorum hostem e medio sustulissent, directis in ipsius Alexandri caput ex occulto fistulis, approbante Clovetho, plumbeæ grandinis procellam repente effuderunt. Affuit insonti

Numen ; quippe non is modo , ſed nullus omnino ex ejus comitatu læſus : ac ceteri quidem ab infeſto fragore ſtatim in fugam averſi ; Farneſius omnium poſtremus, haudquaquam citato gradu , ſalva majeſtate receſſit intrepidus , laudes grateſque agens immortali Deo , deque tam deteſtanda perfidia ſecum agitans. Jamque omnibus ad oppugnationem expeditis, tamen inclinato in veſperam die , a quatiendis mænibus abſtitit, ne Calviniſtæ per tenebras novum repente pro diruto reficerent murum ; ſimul animi dolorem alte premens, ut obſeſſos intentos in ſpem pacis ad belli munia redderet ſegniores , iterum miſit, qui de conditionibus agerent. Tum vero Calviniſtæ ſublatis animis, & non ſine cauſſa rati poſt tam atrocem acceptam injuriam nihilominus ab Alexandro pacem optari ; contumaci reſponſo laxiorem diem ad deliberandum, atque ad Cæſarem ipſum per literas conſulendum expoſcere ; quidam etiam Farneſii poſtulata per laſciviam irridere. Uti poſtera dies illuxit, Hiſpaniæ Patrono Apoſtolo ſacra ; diremto colloquio trifariam cœpta , neque intermiſſa diverberatio , quoad turres aliquot, ac bona pars muri procideret. Tum demum fracti defenſorum ſpiritus, & ad petendam Imperatoris fidem , ac teſtanda nova pacta, quamquam imminente jam nocte , prodibant : neque ſupplices (qua erat clementia) aſpernabatur Alexander ; cum inter eam cunctationem indignantes Italicæ , & Hiſpanæ cohortes aliquot tam certa victoriæ præmia ſibi e manibus eripi, injuſſu per apertum ruina iter, duobus propugnaculis occupatis, magnam hoſtium ſtragem paucis obſiſtentibus edidere. Prima dein luce exercitus univerſus irrupit, irarumque plenus , ad cædem rapinamque diſcurrit . Calviniſtæ abjectis armis partim occiſi ; partim dum fœda fuga e muro ſeſe præcipitant exanimati plerique ; partim cum e foſſa in ſiccum evaſiſſent, ab regio equitatu , qui Urbem corona cinxerat , intercepti . Ex oppidanis imbellem turbam Alexander , ne injuriæ militum pateret , in ſacras Ædes tantiſper, dum furor deſæviret, incluſit : ac nihilominus captos e Civibus aliquot Herneſtus, qui Alexandro aderat, pro charitate paſtorali redemit. Clovethus juris humani divinique contemtor, cum levi ictus vulnere ſupereſſet, Imperatoris voce juſſus interfici . Ad eum, ſi qua fieri poſſet, in extremo ſaltem ſpiritu ab inſania revocandum miſſus a Caſtrenſi comitatu Sacerdos, fucum fallaciamque Calvini variis demonſtrationibus aperire, ipſumque Clovethum ad animam, quoniam actum erat de corpore, ab interitu revocandam precibus, monitis, minisque adhortari aliquandiu perſeveravit . Ille cum ſalutare nihil ad aures admitteret , ab ultima deſperatione ſopiendo rationis uſui merum popoſcit: hauſtoque ingenti poculo, ad ſempiternos cruciatus una cum ceteris abiit. Interea Herneſtus dum refovendo intentus gregi , hoſpitium ſubit ab incolis monitus ipſe , & alii Principes omnibus tectis inevitabile incendium adeſſe ; vix dum poſtea pedem extulerant, cum

cum e tormentario pulvere, quem perditis rebus hæretici subterraneis ædium locis (eæ ferme ligneæ sunt) apposito ignario fomite abdiderant, atro mixtæ fumo erumpentes flammæ triste visentibus vel e tuto spectaculum præbuere. Neque tamen Urbs icciroo in longum tempus eversa: & loci opportunitas, & profugi redeuntes, & excitata raptim ædificia, brevi pristinam frequentiam, ac celebritatem Novesio reddidere. Ab ea victoria Farnesius haud longo intervallo petiit Bergas oppidum exiguum, sed munitum egregie, & firmo Calvinistarum præsidio custoditum. Inde item Farnesius hæreticos pellere aggressus, quia res egebat mora, nec dignum tanti operis pretium videbatur, ad pacandam aliqua ratione provinciam, vel profligandas omni conatu belli reliquias in Belgium rediit. Haud æque feliciter in aliis Orbis terræ partibus hoc anno Christiana gesta res est. Petrus Toletanus ad vastandam Africæ oram septendecim triremium classe profectus ad Cercinam insulam, nobile quondam Annibalis diversorium applicuit. Plano situ, & fertili, & nullo munimento septus est locus: agricolæ & pastores inhabitant; circumquaque syrtes, ac brevia duobus dumtaxat euripis, ad Asachem oppidum continentis, decem ferme leucarum intervallo transitum præbent. Ad eos euripos occupandos, ne cui ex insula pateret effugium, Petrus levioribus navigiis Marcellum Caractiolum Neapolitanum celeriter misit cum tironum manu paucis veteranis immixtis, etiam atque etiam admonitos, uti ne ante acceptum signum in terram exscenderent, caverentque ab insidiis. Illi cum hoc mandato profecti non longe in umbra palmeti moram trahentes aliquot Insulanos aspiciunt semiermes, velitaribus tantum hastis, & latioribus cultris instructos: ea illecebra ad prædæ spem irritati classici, nequicquam abnuente Marcello, obtestanteque, ne Imperatoris contemnerent jussa, relictis in salo navigiis, in terram inexplorato desiliunt. adversus eos protinus Afri, quamquam multo pauciores ultro sese ferociter intulere; qua tam repentina obstupefacti audacia Toletani, & ex denunciato veriti, ne major hostium numerus in proximo subsideret, omissis, ad expeditiorem fugam, armis, extemplo ad naviculas terga verterunt: neque eas adepti, quod æstu recedente longius aberant, in ipso litore inermes, ab insequentibus ad unum omnes interfecti, inconsultæ cupiditatis, ac spreti ducum imperii meritas pœnas dedere. Toletanus tam fœdo atque infausto initio exterritus re infecta recta in Siciliam, atque inde ad pervestigandos piratas ora lustrata, Neapolim abiit. Eadem tempestate Franciscus Dracus insignis Archipirata, cum ex Angliæ finibus anno priore, classem duobus millibus Epibatarum instructam in Occidentem eduxisset; ad Bajonias Insulas sæva procella jactatus, ad Vicum (id loco nomen) accessit; ac navi, in quam incolæ pretiosissima quæque sacrarum ædium instrumenta, in iis argenteam magni ponderis Crucem, hostium metu condiderant,

rant, sine labore potitus, in conspectum regionis processit; quam Gallætiam Hispani, ut alias ferme novi Orbis partes, de patria terra denominant. Obibat ea litora, cum haud magna equitum peditumque manu regius Prætor: ab hoc aleam prælii formidante, Dracus, non aquationem modo, sed varios etiam commeatus æqua mercede impetravit. Hinc ad Insulam Jacobæam e regione Hesperidum classe refecta, Canarias adiit, & ex iis nequicquam tentata Palma, ad Urbem Dominicanam processit in Hispaniola sitam, decem fere millia passus introrsus a mari, caput Insulæ, sedem Episcopi, juridico præterea conventu insignem, & loco ad transvehendas Americæ opes idoneo; verumtamen & longinquitatis & commeantium Regis classium fiducia non magis arte, quam natura munitam. Eo audacius Angli, dum classem Dracus tuetur, in terram egressi fere mille ducenti Carlillio duce obvios ad explorandum Hispanos equites centum & quinquaginta momento fudere: dein longitudine viæ, & sabuli tenacitate superata cum volitantia undique tela depressioribus locis humi strati ex arte vitassent; concitato protinus impetu ne Hispanis ad replenda tormenta spatium foret, in hostes impressionem dedere: instantesque, & immixti cedentibus, pariter in Urbem irrupere; ac foro maximo confestim occupato, & subitariis munitionibus raptim excitatis, ibi tandiu tenuere sese, quoad incolæ, quotidianis eorum excursionibus rapinisque, & incendiis fatigati, desperato aliunde (cum sibi quisque timeret) auxilio, cum Anglis, uti pacato agmine excederent, magno auri pondere transegerunt. Dracus tam felici successu rerum elatus continuo datis in meridiem velis Carthaginem petiit, prænobile emporium in Boreali plaga regionis Americæ, neque ibi Draci spem plane fefellit eventus. Nam, etsi oppidani Classis Anglicanæ fama præmoniti, locum per se munitum omnibus insuper ad propugnandum necessariis rebus instruxerant; tamen hic quoque tanta fuit pervicacia hæreticorum, tanta rapiendi aviditas, ut in summis difficultatibus, tamen ab incepto non ante destiterint, quam semiruta machinis Urbe, cives ad repræsentanda sibi centum ac decem auri millia per vim adigerent. Inde consilium erat Draco interiora Americæ penetrare, atque ad ipsum nomen Dei, quod appellant, & Panamensem isthmum, qui vastissima duo jungit maria, victrici classe pertingere, beatasque auri, & argenti fodinas, si occasio daretur, invadere. Sed magna militum, & nauticorum parte, variis belli, marisque casibus, & contagiosis præterea morbis absumta, omisso ad præsens incepto, plenas omnis generis præda naves, circa Autumni initium, frementibus incassum Hispanis, atque ipso vel in primis Philippo Rege, ovans in Patriam reduxit. In Japoniis vero Insulis (quando Antipodas quoque Romana historia comprehendit) æque male pugnatum a Christianis. Bungi Regnum ad fidem Christi maxima jam ex parte conversum, a Saxumano

no Tyranno idolis ad insaniam dedito, diris modis, igne ferroque vastatum, Urbes captæ, & direptæ; Francisci Regis exercitus dum obsessæ Fiungæ arci opem ferre conatur, ingenti prælio superatus est. Hasce temporarias Ecclesiæ clades spiritalia magno cum fenore lucra pensarunt. In ipso Japone variis locis Ethnici permulti, agnitis ex verbo Dei, patriæ doctrinæ deliramentis, mystico regenerationis lavacro expiati. In citeriore item India multi quam maximo cum apparatu atque frequentia celebrati baptismi: in iis memoranda fuit Brachmanum aliquot (hoc nomine magistri superstitionum Indicarum vocantur) cum uxoribus, filiisque conversio. Accessit nobilissimus adolescens ex perantiqua Regum Balagatæ progenie. Auxit neophytorum multitudinem renovatum Regis decretum, uti non modo Ethnica mancipia, si Christum profiteri animum inducerent, libertate donarentur; sed etiam imposterum venalitios, non nisi a Christianis, qui eos ad rectam fidem informarent, emi liceret. Hæc in Oriente. In Occidentibus autem partibus, & in ipsa Mexicana regione persuasum multis, qui adhuc silvarum in latebris, & concavis montium agebant victu ferino, uti conjunctis casis in unum coalescerent: ii denique mitigati, certisque finibus ac legibus septi, jam intelligunt utilitate communis societatis salutem singulorum & commoda contineri. Nec defuere qui affirmarent immanem strepitum fremitumque auditum ab se, visas etiam alicubi Dæmonum cohortes horrendo cum ululatu & indignatione querentium, quod ab ignotis homuncionibus ex ea provincia exigerentur, in qua sibi cœlestes honores cum exquisitissimis cærimoniis habiti ad id tempus fuissent. In eadem Peruana regione mense Quintili, celeberrima in Urbe Lima, sub solis occasum, tellus moveri cœpta: tremore dein paullatim increbrescente, vibrari eadem ac sursum tolli mortales, tamquam in quassata fluctibus navi insana cum agitatione volutari ferrique, in singula momenta metu chasmatis inhorrescere. Terrestrem motum subsequtus extemplo maritimus. Terrifico aspectu pelagus intumescens trecentos amplius passus in continentem irrupit: ædificia, quæ in portu erant, cuncta proruit: merces magna ex parte corruptæ: aliquot homines obruti: ab ea tempestate aliquandiu nemo se domi tutum putavit. In hortis plateisque passim tentoria figebantur Hæc irati signa Numinis haud paucos ab licentia & luxu, ad Christianam sobrietatem officiumque revocarunt. Limensis Civitas, quod ea clades sub Visitationem Dei Genitricis inciderat, anniversariam illius festi celebritatem solemnis cærimoniæ, jejuniique, ac pervigilii voto in posterum sanxit, ipsamque Virginem Dei Matrem sibi stabilem, propriamque patronam, ac tutelarem adoptavit. Per eosdem fere menses in Oloanda Æthyopici maris insula, multiplicibus nuper dæmonum fraudibus obcœcata, passim Crucis trophæa, & ritu Christiano aræ, templa excitata. Huic insulæ in Atlantico litore vicina est Corimba,

regio

regio latissime patens, feraci solo, frequentibus pagis: itemque Angola purissimi argenti venis uberrimis, inclyta. In utroque eo tractu magnæ ad Ecclesiam accessiones factæ, præclarosque processus habebat Evangelium Christi; cum grave repente bellum exortum ab Æthyopibus, qui interiora tenent loca, Europæosque divitiarum avidos, a fodinarum accessu jampridem arcere conantur, ad sexcenta millia armati convenerant: iis oppositi Lusitani ferme ducenti non plus dena sociorum millia cum signis habebant. Commisso prælio tanto minore Christianorum manu tantæ barbarum copiæ fusæ ac fugatæ; Mariæ Virginis haud dubie beneficio, itemque Apostoli Jacobi, quorum utriusque in tutela neophyti sunt: quorum præsentem dubiis in rebus opem ante jam senserant, tum ab iisdem Christianis exiguo numero duodecies centena hostium millia profligata sunt, affirmantium initio pugnæ, admirabili specie feminam clarissima circumfusam luce, & seniorem ejus comitem stricto gladio, ante signa sublimes, repentinum sibi terrorem atque consternationem intulisse. Hæc & alia hujusmodi tam longinquis e locis fabulosa fortasse quis dixerit. Ego quidem literis gravium virorum, qui semet earum rerum spectatores fuisse testantur, fidem abrogare non ausim. Jam in Anglia, nostri utique Orbis, in ipso domicilio, & fomite seditionis atque malitiæ per occultos piorum cœtus haud pauci ex impurissimo cœno hæreticæ colluvionis extracti. In Gallia cum edixisset Rex universo Regno, uti Calvinistarum furor, ni resipiscerent, proscriptione, & exilio mulctaretur, sua sponte seu malo coacti, semet Ecclesiæ reddidere quamplurimi: multis etiam locis, Episcoporum diligentia pestilentes libri e privatis ædibus, aut propoliis, in medium protracti, ac flammis exusti palam. Sublata conciliabula, & quoad fieri potuit, nihil in vinea Christi relictum, quod Catholicis institutis, & revirescenti avitæ religioni posset officere. Jam in Septentrione per publicas conciones, privatasque disputationes magna hominum vis a diversis erroribus in rectam unius fidei semitam ingenti bonorum gratulatione traducti. Ex eo numero duorum præcipue pœnitentiæ, & pietatis ardor enituit: quorum alter in Poloniæ Urbe Pultovia, quo testatior esset correctio pravitatis, in qua miser ad eam diem insigni cum obstinatione perstiterat; sua sponte palam Crucifixi figura sese resupinum humi prosternens, tanto & suo, & spectantis populi motu hæresim est execratus, uti dubium sit, plures ne effuderit lacrimas ipse, an circumfusæ multitudini excusserit. Alter Lithuaniæ Procancellarius (qui amplissimus est in ea regione dignitatis gradus) cum in Græci schismatis, aliarumque sectarum euripo, incertus animi aliquandiu fluctuasset, Vilnam sese denique contulit: aditoque legitimo Sacerdote ad Catholicam fidem ita est informatus, ut post sacram Confessionem publice sumto Christi corpore, ad restituenda cælestium templa, juvandos inopes censu, locupletes exemplo

re-

retrahendos in æternæ salutis iter æque externos ac populares omni studio & alacritate sese contulerit. Illud quoque Dublini permirum evenit. Propositis ad coarguendam hæreticam improbitatem inscitiamque publice thesibus, in iis, unum esse in Christo Domino Pastorem, ac moderatorem humani generis in Ecclesia constitutum; invitati a Catholicis Doctoribus Ebionitæ præsertim, qui sedem suæ impietatis in ea potissimum Urbe fixerunt, cum & populi & nobilitatis frequens populus convenisset; commissa jam concertatione, severo quodam supercilio procedit in medio unus e delirantium magistris (superintendentem ad evitandam Episcopi vocem appellant) is ad singularis cujusdam pietatis ostentationem, ante omnia sublatis in Cælum oculis, clara voce ab immortali Deo est precatus, uti disceptantium uter sciens falleret, atque obsisteret veritati; huic repente scelestum os æterna majestas obstrueret. sub eam obtestationem inito prælio, dum is adversus fundatissima Ecclesiæ sanctæ decreta, nullo veri, falsique discrimine, ut hæretici solent, qua mutila, qua adulterina e sacris literis jactare non dubitat; ecce sibi subito tremore, & pallore correptum latera voxque deficiunt: est sublatus e sella, justam Numinis vindictam cunctis non sine horrore agnoscentibus, cum in eam ipsam incidisset pœnam, quam sibimet lingua sacrilega nuncuparat. Vulgata continuo per totam Poloniam ea res est: diuque & multorum literis, & omnium sermone celebrata. In Livoniæ finibus paganorum tria fere millia ad Christum adjuncta: vitiati baptismi cærimoniæ instauratæ in plus mille capitibus: nefarii quoque ritus e vetusta gentium superstitione sublati; cum enim in siccitate paullo pertinaciore consuessent rustici ad eliciendam segetibus pluviam, tonitruo ac fulguri supplicare; interdum etiam avertendi mali ad certas arbores offerre liba, & sacra facere; non sine magno labore persuasum tandem est iis, ut ab ejusmodi cultu idolorum ex Christianæ fidei præceptis absisterent. In Austria præter ceteram multitudinem a pravis opinionibus, vel ab impia secessione ad instituta, legesque Catholicas longo intervallo revocatam, duo oppida tota Hausechium. & Crembsium pulsis magistratuum jussu pseudoapostolis, quos vulgo Prædicantes appellant, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Principem, ac Magistram agnovere. In Stiria Urbe Græcio, quod est Provinciæ caput, adversus hæreticorum impetus, instructissima bonarum artium, ac disciplinarum officina, Caroli Archiducis munificentia, Pontificis Romani auspiciis, instituta. In Helvetiis Catholici pagi puri ab hæreticorum contagione servati, & libertas Ecclesiastica pluribus documentis Apostolico Nuntio procurante sancita. In Germania inferiore præter cetera sublata vitia, Treverensis, & Moguntini Principum, & Antistitum cura, sagis, veneficisque, & aliis Dæmonum emissariis obviam itum; & in sanandis ægrotis, fugandis lemuribus, periculis amoliendis, haud uno loco, non

aliorum modo mysteriorum Ecclesiæ sanctæ, sed Cerei quoque Agni a Summo Pontifice consecrati divina virtus apparuit. Alicubi cum ad sacram accessuri mensam homines generatim peccata confessi, manipulatim a parocho absolverentur, animadverso piaculo ad propriam & enucleatam quisque confessionem rite se contulerunt. In Herbipolitana Diœcesi inveteratum hæreticæ perversitatis malum vix videbatur posse depelli; sed Episcopi zelus, & operariorum industria, & assiduitas omnia pervicerunt. Oppida quatuordecim non exigua, pagi amplius ducenti, in veritatis ac salutis viam, adjuvante Deo, reducta. capita hominum censebantur ad septuaginta millia: quo factum est, ut qui nuper agri sentibus ac spinis Lutherianæ sementis horrebant, jam tum repastinati & exculti felicibus plantis ac læta fruge nitescerent. Eadem ætate, qua hæc variis Orbis terræ partibus in Ecclesia Dei gerebantur; Gulielmus Sirletus extremum in Urbe Roma diem obiit, vir in quo egregia pietas insigni cum eruditione certabat. Is in Calabria Guardavalle vico Stilensis agri, medico Patre natus, cum domi sacris prophanisque literis operam accurate dedisset, pergravante fratrum multitudine perexiguo censu, Neapolim primo, Romam inde petiit, omnia sua bona secum portans, & nulla supellectili præter unum Breviarium instructus. Ibi Calcographorum emendandis ob inopiam typis aliquandiu victitavit; hinc ad Joannem Franciscum Ursinum Romanum procerem, sese contulit: mox in clientelam familiamque Cervini Cardinalis receptus, acerrimo ingeniorum æstimatori, ejusque amicis viris ita sese probavit; uti eodem Marcello postea vita functo, ab Successore Marcelli Paulo Quarto in intimam consuetudinem titulo Protonotarii participantis admissus, atque a Pio Quarto denique ad sacrum ipsum Collegium fuerit aggregatus. in quo tam excelso fastigio cum nihilominus eum de obscurissimis utriusque testamenti aliisque locis æque summi, infimique consulerent, ad finem usque vitæ per viginti annos ita se gessit; ut illum Princeps in publicis difficultatibus fidelem consiliarium atque administrum, in rei familiaris angustiis doctissimus quisque optimum, & parentem, & advocatum agnosceret. Decessit ferme septuagenarius, præter celeberrimam nominis famam, ornatissima quoque bibliotheca relicta. Insequentis anni primordia nobilitavit Margaritæ Austriacæ mors cum aliis nominibus de Ecclesia optime meritæ, tum quod Alexandrum Farnesium edidit, de quo paullo ante dicebamus; & rectæ in Deum fidei ubicumque versatus est columen, & sanguinis Italici apud omnes nationes eximium decus. Hæc virili prorsus ingenio mulier, in Belgis Carolo Quinto Cæsare genita, Octavio Parmensium Duci Romæ nupta, ad compescendos in patria motus, Calvinistarum dolis, & scelere nuper exortos, a Philippo fratre destinata, Provinciam

ciam haud ita gravate suscepit; immitissimæ genti sapientia ac lenitate potius, quam ferro suppliciisve tranquillitatem & pacem, aris templisque suos honores & cærimonias utique redditura propediem, nisi præclare cœptis alieno tempore intervenissent ex Hispania certi homines, cauponari, ac ducere bellum, perque terrorem, & cædes, & exactiones imperium exercere assueti pessimo publico. Quippe cum neque ipsorum errata deinceps Rex, Regiive Prætores ulla ratione corrigere, neque Belgarum, ac præcipue Batavorum efferatas paullatim capitali in Hispaniense nomen odio mentes, quantalibet mansuetudine, benignitate, clementia in hanc usque diem flectere, aut omnino mitigare valuerint. Inter hæc ab aliquot Germaniæ Civitatibus hæretica pravitate seductis, itemque ab Joanne Casimiro, aliisque Tyrannis; qui contacti Ecclesiastica præda inexpiabiles cum Romano, ideft cum Summo Pontifice, gesserunt inimicitias Legati ad Henricum Tertium advenere. ii prima salutatione peracta, suorum extemplo mandata edidere, Germanico seorsum, & Gallico sermone conscripta: in quibus erat: suæ quidem modestiæ non esse, alienis negotiis obtrudere sese, & in consilium non accersitos venire; attamen pro ea necessitudine, & charitate, quæ inter eos intercedat, qui nomine Christiano censentur; proque ea amicitia, quæ sibi majoribusque cum Gallico sanguine semper fuerit; satis mirari non posse, cur tanta sapientia & æquitate Rex, violatis conditionibus pacis, quas ipsemet solemni paullo ante sanxerit sacramento, funestum repente bellum indixerit iis, a quibus nulla recenti injuria lacessitus, nulla contumacia provocatus, omni submissione, obsequio, diligentia cultus sit. Cur sinceri Evangelii, & priscæ disciplinæ assertoribus attributa nuper variis locis templa per vim eripiat? Cur Dei verbum, impolluta mysteria, innoxios cœtus, proposita capitali pœna prohibeat? Utique nihil esse tam Christiano nomine dignum, quam promissorum, interposito præsertim jurejurando, constantiam & fidem; hoc uno vinculo privata commercia, publicas potestates, atque judicia, totius denique generis humani societatem, & fœdera contineri. Contra nil turpius, nil perniciosius, aut detestabilius esse perfidia: quin eum potius uti bonum pastorem deceret, afflictæ Galliæ miseratio caperet? cur tot fortissimis, & clarissimis Viris per mutuas cædes orbatam omni semine virtutis, ac sobole nobilitatis, per novas insuper clades vellet exhaustam? Hanc adeo subitam rerum immutationem tamque periculosa diffidia probe intelligere sese nequaquam ab optima Henrici mente, sed a paucorum orta cupiditatibus, qui publicæ (ut fit) quietis, ac securitatis obtentu suam augere potentiam, Regi nova jura, legesque præscribere, designandi præmatura electione successoris necessitatem non vereantur imponere; quorum ille, si artes pro sua prudentia, minus pro potestate contemnere, pacisque & otii perturbatores coercere in animum inducat; non defu-

turas illi, præter Numinis præſentiam, totius quoque Germaniæ opes, & auxilia: ſin improbis ſuaſoribus patulas præbere aures, & bene de Valeſia Gente deque Republica meritos populares, metu ſuppliciiſque & proſcriptionibus divexare pergat; videat etiam atque etiam, ne in unius gratiam Romani laniſtæ (cujus avaritia, & dominandi libido ſit inexplebilis) tot fideliſſimas nationes, & ſe, Regnumque irreparabili ruina peſſumdet. Hæc monita, & conteſtationes (uti dicebamus) conſignatæ literis, recitatæ ad verbum, ac traditæ Regi, quas ille haud magno aſſenſu percepit. Curioſa, & procax, & ſubdola viſa legatio. itaque brevi ſpatio ſumto, Germanis item de ſcripto, per apparitorem in hanc ferme ſententiam reſponderi juſſit. Sibi Dei munere ita concreditum eſſe totius Galliæ ſceptrum, uti ad Regis nomen, Chriſtianiſſimi quoque & Primogeniti Sacroſanctæ Eccleſiæ filii cognomen acceſſerit. hac tam perhonorifica præſcriptione ſe prorſus indignum fore, niſi quæcunque Romanis ritibus, & Apoſtolicæ doctrinæ adverſentur, e ſuis finibus, vel omnino tollenda, vel certe quam longiſſime exterminanda curaverit. Quod ad violandum pacis edictum attineat, quæ in tam vago, tamque multiplici rerum humanarum actu publice decernantur, non clavo ſtatim adamantino, fixa & immota cenſeri. Principum placita, ſeniorum conſulta, ordinum ſcita, locis, temporibus, eventis aptari. Ad hæc demirari ſeſe, cur Joannes Caſimirus, & ex eadem alii ſecta Regi finitimo ſane, verumtamen ita libero, ut neminem in terris, uno excepto Chriſti Vicario, ſuperiorem agnoſcat, neque rogati ipſi, neque conſulti præcepta vivendi, vel gubernandi, verbo ſcriptove tranſmittant. Se quidem nulli unquam dominantium interceſſiſſe, quo minus in ſua quiſque ditione, quod potiſſimum expedire judicaret, id ſuo arbitratu conſilioque perageret. Ad ſummam, nationes divina providentia ſuæ fidei commiſſas, maximæ ſibi ſemper curæ fuiſſe, & nihil impoſterum fore ſalute & commodis illarum antiquius. In hiſce Eccleſiæ Gallicanæ difficultatibus quid optimum factu ſit, ſemet nullo cujuſquam hortatu monituve ſecum eſſe deliberaturum. Cum ejuſmodi reſponſo dimiſſi Legati nequaquam lætis animis, ad novas in Catholicum nomen accendendas irarum faces in patriam revertere. At Henricus ne conflandæ tali tempore contra ſe invidiæ Guiſianis novam præberet anſam; ad formulæ Chriſtianæ inſtituta de integro conformare ſeſe, officia religionis intendere, ſqualido, & cinerei coloris habitu votivas peregrinationes obire, cum aſperioris vitæ profeſſoribus frequens agere, diurnis, nocturniſque choris, & ſacrificiis intereſſe, quotidiana delicta per confeſſionem eluere, cæleſti pane ſeſe ſubinde recreare, ſummis atque infimis ad omnem pietatem, ac numinis reverentiam prælucere; cum tamen e dicaci populo interea non deeſſent, qui Regem hæc omnia ſimulare, in hortorum latebris, atque etiam intra ipſos cœnobiorum cancellos multa nefariæ libidinis, prodigi luxus, ſacrilegæ

mentis

mentis edere exempla, non occultis modo sermonibus, verum etiam pro concione palam atque adeo vulgatis e typographia libellis, vero an falso, contenderent. At nihilo secius Henricus rumores ejusmodi firma fronte contemnens, dum eximiæ cujusdam virtutis, & continentiæ laudem captare pergit; inter Guisianos eodem tempore variis artibus jurgia, discordiasque clam serere; copias eorum opesque imminuere; sevocatos ex iis primarios quosque docere, quam temere credidissent, Janvillanam conjurationem, conscio Rege, sed propter Navarræi metum dissimulante, conflatam. nihil sibi tam grave, tam novum in vita accidisse; plena fallaciæ, ac vanitatis hæc esse commenta: proinde, si fas legesque, si debitam Principi fidem, si Deum denique testem, ac Judicem actorum uniuscujusque respicerent; relicto peregrinorum insidioso consortio, quos nulla charitas Gallicæ terræ teneret, ad expertam toties clementiam, benignitatem, amicitiamque sese reciperent. Hac ferme ratione Valesius magnam illustrium equitum partem, sese a Guisio deceptos, delusosque frementium, (& est ingenitus Gallicæ nobilitati mirus quidam in Regem suum amor & observantia) ab æmula factione carptim ad se traduxit; multo plures utique tempore procedente tracturus, nisi & fœderatis, partim Catholici Regis iterata subsidia, partim a Guisio Duce, (quam in tempore memorabimus) clarissima de æterno hoste relata victoria novum in aliquot annos firmamentum ac decus, & Christianissimo Regi male consulta pleraque, & super hæc fraudi conjuncta sævitia, ingentem apud omnes nationes invidiæ molem exaggerassent. Exitu anni Stephanus Bathorius magno rei Christianæ damno decessit Poloniæ Rex, belli æque ac pacis artibus inter paucos utique memorandus. quippe adolescens liberalibus disciplinis magna cum laude operam dederat. partam accurata lectione prudentiam, varia peregrinatione, duris eventibus, plurimo rerum usu firmarat. In re militari incertum fortior, an felicior, Gasparem Bechesium, cui prælatus popularium studiis in Imperio Transilvaniæ fuerat, Cæsaris ope novas res molientem semel atque iterum fuderat. Proximo dein ab Henrici discessu interregno Poloniæ, divisis procerum voluntatibus, a minori parte ad sceptrum evocatus, competitorem Maximilianum Cæsarem, conflato repente exercitu, acceptaque in matrimonium Anna Jagellona Sigismundi filia, consilio & celeritate antevertit: ejusdemque postea Maximiliani minas fremitumque animo excelso, atque ad omnem dimicationem parato contemsit. Inauguratus Cæsari deditos, & in partibus obstinatos Gedanenses ad Balticum mare omni clade perdomuit; Moschum ab Ecclesiæ Romanæ auctoritate sejunctum, aliquot præliis, & insigni Urbium expugnatione vehementer attritum, ad pacem demisse petendam, cedendum universa Livonia, & Ducatu Polotiensi, agroque Valisiensi amplissimo, intra paucos annos adegit. Castæ Religionis haud minus, quam Imperii propagandi studiosus, colendis ingeniis in Ecclesiasticæ militiæ supplementa, Collegia Clericorum & Christianæ potissimum elo-

quen-

quentiæ ſcholas, egregia liberalitate conſtituit. Sacras ædes, vel vetuſtate labentes refecit, vel novas ædificavit; eaſque varia ſupellectili, & regalis opulentiæ donis inſtruxit. Præſtantibus in bona qualibet arte viris favit enixe; nobilitatem opibus, atque clientelis ferociter exultantem ſapientia legibuſque compeſcuit.

Pontifici Romano ad exitum uſque vitæ morigerum in primis, & obſequentem optimo exemplo ſe præbuit. Obiit, præmaturo publicis privatiſque neceſſitatibus fine, quinquagenarius, in Turcicum bellum (modo fidelia Chriſtianorum Principum auxilia non deeſſent) atque in ipſam Othomanicæ Tyrannidis arcem ſpe & cogitatione jamdudum imminens. Ejus morte, præſertim quod ſine prole deceſſerat, Polonica res, vetere inſtituto gentis, ad armata comitia rediit. Eo Sixtus Annibalem Archiepiſcopum Neapolitanum, nondum audita morte Regis, Nuncium Apoſtolicum ab Urbe profectum, quam maximis itineribus maturare juſſit, ac providere omni conſilio, ne quid ob Comitiales tumultus Chriſtiana Religio caperet detrimenti.

Libri Primi Finis.

JOANNIS PETRI MAFFEJI

E SOCIETATE JESU

HISTORIARUM AB EXCESSU

GREGORII XIII.

PONT. MAX.

LIBER SECUNDUS.

INter hæc Germani Oratores, quos ab Henrico Valeſio irritos abiiſſe memoravimus, irarum pleni ſuos quiſque populares, ac Regulos ad eam ulciſcendam contumeliam, & ſocios Calvinianos ab Regis Galliæ vexatione vindicandos, omni arte concitaverant. Neque hujuſmodi animorum inclinationi pro ſua parte defuit Navarræus. Præter quotidianas Epiſtolas, nuntioſque inſuper e primoribus Duces in Germaniam ad evocanda auxilia deſtinavit. ii non tam præſenti pecunia, quam ingentibus promiſſis peditum variæ armaturæ ad viginti, equitum ad decem millia, magno cum numero tormentorum brevi contraxere. quibus additus Gallicus equitatus Hugonoticus, Roberto Bullionio univerſi exercitus Præfecto, Catholici nominis Gallos terrore, perduelles eo maiore impleverat ſpe, quod per eos ipſos dies Annas Joyeuſa inſignis Catholicorum Dux, ad Cutracum ab Navarræis ingenti prælio victus, una cum ipſo nobilitatis flore ceciderat. Et Franciſcus Digueria celebris Hugonotarum auctor, in Allobrogibus vicinoque tractu, Baleone adjutore, non contemnendos habuerat progreſſus. Igitur appetente Autumno Bullionius infauſto movens agmine per Alſatiam, Lotharingiæ fines ingreſſus, cuncta ferro, ignique pervaſtat. eo ſævitiæ Hugonotarum rabie, quod Lotharingii dynaſtæ ſeſe

præ-

præcipuos Catholicæ cauſſæ patronos ac propugnatores ferebant. Inter Gallos dein, & Germanos de ratione itineris orta controverſia: cum illi quam breviſſima via Ligerim petendum, eoque trajecto, jungendas cum Navarræo copias; hi longiore ambitu, ſed tutiore, ac minus impedito, in Ambianos contendendum eſſe affirmarent. Aliquandiu diſceptatio tenuit: denique brevitati conſultum. ejus diſſenſionis mora perniciem hæreticis attulit; ſiquidem interea Catholicis quicquid ſupererat in agris elementorum, in loca munita rapiendi, ſpatium eſt datum: & Rex valido exercitu atque omni genere tormentorum, qua Ligeris interdum aperit vada, ita ripam inſedit, uti neque a fronte Germanis aditum ſine certo ipſorum exitio patefaceret; haud ægre laturus, ut ferunt, ſi retro in Lotharingios tota belli moles incumberet. Aliis inſuper locis pontes omnes non levi præſidio firmarat. ac per idipſum anni tempus imbres continui inflatis amnibus ita corruperant vias, ut impedimenta, machinæque profundo, ac tenaci limo ægerrime traherentur. Præterea Guiſius, & Mayneus longe inferiores militum numero, licet univerſi certaminis aleam conſulto vitarent; tamen & bonitate cauſſæ, & equitum peditumque virtute confiſi, præcedentium agmen ſubinde carpere, fatigare, pabulatione rapiniſque, ac trajectu fluviorum arcere. Ad haſce difficultates brevi acceſſit pecuniæ inopia. Quo circa Helvetii ſtipendia ſeditioſis vocibus cum aliquandiu poſtulaſſent, blando Gallorum Ducum ſermone, & cohortatione fruſtra compreſſi; denique miſſo ad Regem Oratore, veniam illati belli ſuppliciter petierunt: excuſantes imprudentiam quod Borbonionorum artibus atque fallaciis, per ſpeciem novæ in Regem conjurationis opprimendæ, contra ipſum Regem tuliſſent arma. orare ſeſe uti per Galliæ fines reditus fidem daret; ſe innoxio agmine quamprimum abituros. Ad ea Rex, qui ſe tam gravi hoſte qualibet ratione levatum cuperet; molli brachio reprehenſa levitate eorum atque perfidia, quod inexploratis rebus, rupto vetuſtiſſimo fœdere, ad ſe oppugnandum venire in animum induxiſſent; datis qui proſequerentur, benigne dimiſit. Neque tamen iccirco audaciæ pœnas effugere potuerunt. quippe ſolutis ordinibus, paſſim ab agreſtibus cæſi, aut ſpoliati, exiguo numero inermes, ac ſeminudi, in patriam revertere. At nec Germanorum quidem lætior fuit exitus. Multis acceptis in itinere detrimentis, cum præcipua eorum pars in oppido cui Arenæo nomen, ipſo Beati Martini pervigilio, vel paullo poſt, ut tradunt alii, conſediſſent; pactis cum arcis præfecto induciis, undique ſe tutos rati, Martinalia, ut appellant ipſi, per laſciviam celebrare, ciboque ac mero ſemet ingurgitare cœperunt. Sed incolarum indicio, quos illi tectis exegerant, a Guiſianis peditibus mille quingentis, Franciſco Aurelianenſi præfecto per ipſam arcem introductis, oppreſſi ſub lucem, interque ſomnum, & epulas, ac perpotationes fœde trucidati, ſupra

mille & quadringentos: alii, qui se intra ædes raptim communire tentaverant, subditis ignibus concremati fere sexcenti; equi militares capti amplius duo millia. præda omnis recepta. e Guisianis unus tantum amissus; nonnulli saucii. Guisius ipse tota nocte pervigil cum equitatu circumierat muros, ad prohibenda & ex oppido effugia, & e vicino subsidia. Dueus tamen Baro mediam hostium aciem regere solitus, inter tumultum mœnia supergressus, per intermissa custodiis loca, cum paucis effugit. Abeuntem cetera multitudo variis agri ejusdem dispersa vicis trepido agmine subsequuta. Ea demum gentis impiæ clades, & Gallum diuturna formidine liberavit, & labantes Janvillanæ societatis opes, & existimationem in aliquod tempus egregie fulsit. Lotharingii exuviis hostium induti, Lutetiam maximo omnium gaudio, faustisque acclamationibus ovantes ingressi; haud dubie cunctis ordinibus Guisium patriæ servatorem, publicæ salutis parentem, summum Imperatorem ad astra ferentibus. Quæ res infestum jampridem in Lotharingios fratres animum Regis vehementer accendit. æmulorum opes augescere; non æquari modo, sed etiam anteferri Guisium; tantæ ac tam salutaris victoriæ palam eripi sibi decus impatienter indoluit. Paucis ante mensibus, quam hæc in Gallia gererentur, atrox in Anglia facinus editum est. Maria Scotiæ Regina popularium hæreticorum scelere exagitata, ad Elisabethæ Anglæ cognatæ misericordiam ac fidem, ipsius invitatu ante annos ferme viginti confugerat. ibi mutato in carcerem hospitio indignum in modum habita; ad extremum a Calvinianis, qui & Religionis caussa pessime illam oderant; & quod Angliæ sceptrum defuncta Elisabetha ad eam jure pertineret, suæ perfidiæ vindicem extimescebant; structis rerum novarum criminibus, ad sexagintavirale consilium defertur. Id consilium Calvinianis omne constabat; confictis Mariæ ad conjuratos quosdam literis, falsisque testibus confirmata calumnia, insontem capitis damnant. Elisabetha sententiam approbavit; ac nequicquam absterrere immanem feminam a tam nefario scelere conante Belliaureo Galli Regis Oratore, lege in eam paucos post dies agi jussit. Maria sese & auctæ Religionis plane retinentem, & in Elisabetham nihil unquam secus molitam esse, jurejurando testata, inter domesticorum lacrimas percussori cervices fortiter admodum præbuit; Jacobo filio adolescente relicto, quem prima ætate Calviniani a complexu parentis avulsum Bucanano magistro fraudibus atque imposturis, a recta in Deum fide, atque a Sacrosancta Romani Pontificis auctoritate dissuaserant. Ex eodem Angliæ Regno pyratæ complures Peruanæ gazæ illecti dulcedine, conjunctis Reginæ hortatu viribus, Occidua maria repetierant. vastataque iterum Dominicana insula, atque inde in meridiem superato Divi Augustini promontorio, ad Magellanicum fretum prædabundi cursum intenderant. In reditu circa Trinacrium promontorium sagittas (id navigii nomen a

D præ-

præacuta proræ figura) mercibus onuſtas, trucidatis vectoribus, nautiſque ſuppreſſerant. Ea re per ſpeculatores cognita, Alvarus Bazanius maritimæ rei a Philippo Rege præpoſitùs, pyratas opportuno loco expectare, cumque iis prælio decertare conſtituit, multo ſuperior & numero, & genere navium; quippe Anglo non plus quinque & quadraginta erant naves, inſtructiſſimæ illæ quidem, ſed quæ velis dumtaxat agerentur. Alvarus ad amplius ſexaginta onerarias, ornatiſſimas ſeptem & triginta triremes adjunxerat. Ubi in conſpectu prædones fuerunt, confeſtim pugnæ ſignum ingenti animorum ardore utrimque propoſitum. Alvarus per ſe, perque venerandum Ximenium eximia pietate concionatorem ſuos hortatus ad eluendam prioris anni maculam, atque ad hoſtes Catholici nominis, templorum everſores, ſacræ juxta ac prophanæ rei raptores merito ſupplicio puniendos, claſſem in hunc maxime modum inſtruxit. In fronte, modico ab ceteris intervallo, majores octo naves, incertum quo rectore conſtituit; dextrum cornu cum ſeptem pariter onerariis, celocibus novem, ſagittis ſex, Garziæ Manrico; ſiniſtrum cum onerariis totidem, celocibus quatuordecim, Lupo Contreriæ attribuit: mediam aciem navium duarum ingentium, triremium quinque & viginti ſibi deſumſit; in ſubſidiis Roterium Queſadam cum duodecim triremibus, ſagittis totidem collocavit. Hoc ordine expiatis ante per Sacram Confeſſionem cunctorum animis, uti ad miſſilia ventum eſt; prior ab Hiſpano ferrea procella undecim primi hoſtium agminis naves male multavit, ac duæ præſertim adeo perforatæ, uti propemodum mergerentur. Haſce dum obturare, ac ſarcire conatur hoſtis, ab latere Contreria, utramque ſuppreſſit. injectis deinde in proximos ordines harpagonibus, conſerta comminus pugna, militum multitudine ac virtute præſtans ab ea parte Hiſpanus, tamquam in terreſtri certamine magnam edidit cædem. onerarias alias demerſit, alias cepit. Diſſimilis in lævo cornu ſucceſſus; lacera navium armamenta, periculoſi milites; & Manricus prope jam cedere cogebatur, niſi e poſtrema acie Queſada cum triremibus advolaſſet. Ejus acceſſu prælium illico reſtitutum: & Alvarus e medio in omnes partes intentus, qua maxime laborari ſenſerat, eo ſtatim ſubſidia ſubmittebat; ac multis geſtis rebus jam ante clarus, nullum ne eo quidem die egregii Imperatoris officium prætermiſit. Duas ferme horas tenuit pugna. tota deinde jam vincere claſſe Catholicus; cædi, capique, aut in fugam verti prædones: naves eorum viginti magno cum numero omnis generis hominum in poteſtatem venere; in iis Prætoria, in qua ſaucius vehebatur Archipyrata ipſe Franciſci Draci fratre genitus Eduardus. Incenſæ præterea ſex; elapſæ duodeviginti; interfectorum numerus relatus ex Anglis novem fere millia. Ex Hiſpanis mille trecenti; navium Hiſpaniarum ſagittæ fere omnes, triremium una tantum, ſalvis hominibus, obruta; ex onerariis afflictis, ac ſemilaceris, nulla tamen interiit.

riit. Alvarus tam insigni parta victoria, retro ad Helenæ promontorium novem reduxit. ibi solemni ritu gratiæ, laudesque actæ Deo. refecta dein classe, directisque in Lusitaniam proris, ingenti omnium gratulatione triumphantis in modum Olyssiponis portum invectus est. In ea tum Urbe Philippus excidium Anglicanæ tyrannidis jamdiu coquens, classem adornabat, quantam Oceano innasse nemo plane meminerat. Variæ formæ naves aut labefactæ refici, aut novæ ædificari, ex omni maritima Hispaniæ ora; negotiatorum onerariæ comprehendi; veterani e præsidiis deduci milites, recentesque conscribi; congeri, & condi cibaria; tormenta fundi; linteorum, sparti, armorum æris, ac ferramentorum officinis, & omni bellico apparatu cuncta perstrepere. Quod, ubi Sixto compertum, ne pro virili parte cuiquam ardore liberandæ ab hæreticis Angliæ cedere videretur; auri decies in eam expeditionem attribuit, conditionibus iis, quæ ad restituendum in eo Regno splendorem Catholicæ Religionis, & renovanda jura Sedis Apostolicæ pertinerent. quam tamen ille donationem ita ratam esse voluit, si ante exitum Novembris insequentis anni litoribus Angliæ classis appulsa exercitum exposuisset. Quo exposito quingenta aureorum millia statim Hispano repræsentari, & altero quoque mense justis pensionibus reliquum bona fide numerari jussit. Sin toto eo tempore descensio facta non esset; prorsus irrita censeretur, inanisque largitio. Iisdem fere diebus in limite Pannonico Turcæ ultionis avidi, quod per hiemem Hungari glaciato lacu Balacone Copanum Castellum eidem lacui impositum improviso impetu ceperant; multisque occisis, aut captis, non contemnendam ex eo loco virorum, & mulierum ingenuarum ac nobilium, insuper equorum prædam abegerunt; contractis Augusto mense peditum, equitumque millibus circiter quinque, Neffinum agrum Cæsareæ ditionis ingressi, omnem circa regionem effusa populatione vastarunt; ignobiles aliquot vici, villæque exustæ, præda ingens hominum, pecudumque, & rerum agrestium acta. Hisce rebus auditis Cæsariani, educto quam celerrime a præsidiis milite, noctu fauces ad Canissam insedere; qua paludes coarctant iter hostibus in reditu necessarium. hosce grave impedimentis inexplorato trahentes agmen, cum nec angustia, nec multitudo receptum daret, expediti ipsi magno animo adorti, ad duo millia trucidarunt. quidam in stagna conjecti, & cum ipsis equis hausti gurgitibus; alii capitibus tantum extantes supplicibus ad hostem manibus, vocibusque, commota miseratione vitam emercati servitio; pauci fuga in silvas elapsi ab rusticis indagine cincti, cæsique. præda omnis, & captivi recepti, & super mille trecentos homines, mille etiam, & quingenti equi Turcicæ pernicitatis abducti. victoriæ signum captivi sexcenti; quadringenta hostium capita Canissam extemplo transmissa. tantoque malo in menses aliquot contusa Turcarum audacia. In Germania inferiore hoc anno ferme quies

ab armis fuit. Franciſcus Colonienſem rem adverſus Turcheſianos novis auxiliis tutari non deſiit; Varorique Caſtellum pactione recepit, Gallico præſidio ſexdecim aureorum millibus perſolutis. Neque tamen vitare potuit, quo minus ex altera parte Bonnam, Urbem Herneſti Archiepiſcopi ditionis, Martinus Schenchius furto ſurriperet; ad eamque retinendam munitiones in adverſa ripa fluminis excitaret. Intenſiores tum animos omnium Regum, ac nationum comitia habebant Polonica; quæ in plures primo factiones diviſa, ad duas poſtremo redierant: harum altera Maximilianum fovebat Rodulphi Cæſaris fratrem, præter Imperii Sacri ditionem, pleraſque etiam contiguas Poloniæ gentes hereditario dudum jure obtinentis; altera pro Sigiſmundo Joannis Svetiæ Regis filio nitebatur. Ab Auſtriaco Gregorius Radzivillius Cardinalis, fratreſque Dynaſtæ; item Epiſcopi, & Senatores aliquot, ac Palatini, ſtabant; necnon e clara ſtirpe Sboroſcii; & ſi qui præterea ab Stephano Rege ſe male habitos querebantur. Sveco Anna Jagellonia, Stephano viduata, Sigiſmundi matertera, conſilio, viribus, opibuſque præpollens. huic inter primores præcipue addictus obſequio vetuſto, & acceptis a Stephano beneficiis, Joannes Zamoſcius Regni Cancellarius, & Equitum magiſter, cum rem ad bellum haud dubie ſpectare, & jus in armis fore proſpiceret; coacto mature exercitu, magnis itineribus Cracoviam contenderat Regni caput; eoque per literas, nuntioſque Sigiſmundum evocare non deſiſtebat. Maximilianus contra Varſaviæ per acclamationem Rex a ſuffragatoribus paullo ante renunciatus; idemque ſat memor quantum in ſimili re Maximiliano tarditas obfuiſſet; Olmutium Moraviæ Urbem, Poloniæ finitimam, ſine mora contendit. ibi a ſuæ partis Oratoribus oblatas regnandi conditiones in templo maximo rite firmavit; dein e proximis locis haud ita magno numero peditum, equitumque collecto, Cracoviam ad Sacramentum a reliquis exigendum feſtine progreditur. Verum contra opinionem excluſus, caſtra ſub mœnia poſuit, vaſtitatem agris, Urbi excidium minitans. Cives ea denuntiatione perterriti, Zamoſcio auctore, ſimulata benevolentia, variis pollicitationibus ambagibuſque tamdiu tempus extraxere, dum Zamoſcio ad copias augendas, Urbemque porro muniendam ſpatium foret. Inter quæ Maximilianus, cum unam tamen e portis nocturna proditione cepiſſet; concurſu repente populi ad arma facto introductos e ſuis admodum quingentos amiſit. Ea clade, & quod exacto jam Autumno ſupervenientis hiemis incommoda, ſævitiamque ſub pellibus extimeſceret; & a majoribus tormentis e ſuperiore loco non leve damnum acciperet; omiſſa in præſens obſidione, Crepitium primo, dein Viclunium ejuſdem regionis loca, ſeſe recepit; majore apparatu, cum primum ver ſe aperiret, ad perdomandam Polonorum contumaciam rediturus. Sigiſmundus interim tranſmiſſo Baltico mari ad Gedanum excenderat; Petricoviam inde mo-

modica armatorum manu progressus, ab immisso repente Maximiliani equitatu propemodum opprimitur. Saluti fuit turbæ agrestis indicium. Ipse, quique cum eo erant, relictis impedimentis, qua cuique proximum, aufugere. collecti deinde, & viribus aucti, cum novi quotidie ad Sigismundum concursus fierent; Cracoviam incolumes pervenere. ibi partim interregni tædio, partim civilis belli metu, Moscho præsertim ac Turca imminentibus, partim etiam frequenti Annæ largitione, & super hæc acerrimo Zamoscii ministerio, necnon Svetiæ ad Poloniæ sceptrum adjungendæ spe inclinantis in Jagellonicam stirpem, omnium ferme ordinum studiis, maxima Senatus populique frequentia & celebritate, Sigismundus Rex consalutatus, more majorum in solio collocatur sexto Kalendas Januarias. quo ipso die ab reliquiis Austriacæ factionis Lubloa insigne Castrum cum aliquot minoribus Castellis, ac vicis in Poloniæ finibus e regione Hungariæ occupatum, impositumque præsidium. Quæ res ne in exitiale bellum erumperet; Turcamque in omnes ejusmodi occasiones intentum, alienissimo Christianæ Reipublicæ tempore irritaret; Anibal Nuntius Apostolicus, quod ita cordi esset Pontifici maximo non ignorabat, Crepitium accepta fide profectus, dum de pacis conditionibus ageretur, inducias in mensem unum a Maximiliano impetravit. Neque Poloni sese a pactionibus alienos ostendere; in novos interim apparatus armorum intenti: neque ita ægre ferentes, mentione pacis injecta, Germanorum impetus relanguescere. Dum super ea re sententiæ dicuntur; & interpretes commeant; & Maximilianus e Poloniæ finibus in Silesiam transgressus, in oppido Pitschinio (Buzintam appellant alii) sese continet; repente affertur, infestis signis magno cum exercitu adesse Zamoscium. Maximilianus inopinato nuncio repercussus, tamen collegit animum; neque tam fiducia militum, quos paucos, & in iis recentes quosdam auxiliares ex itinere fessos habebat; quam pudore ne certamen defugere, & muris tenere sese videretur, appropinquanti Zamoscio armatus occurrit. commissaque pugna vim hostium fortiter aliquandiu sustinuit. Superante dein multitudine, & promtissimis suorum interfectis, cum alia munitiora in vicino paterent oppida (quo consilio incertum) intra Pitschinium sese rursus inclusit. Ibi cum neque instaurando prælio vires, & obsidioni tolerandæ nihil ex ante convecto suppeteret; ferociter instanti Zamoscio, semet amicorum hortatu, permisit. a quo ne locus ei ad gentem ultra solicitandam, novasque ciendas turbas ullo pacto daretur, penitus in intimam Russiam deportatus, & in Crasnostavii arce citra omnem contumeliam ille quidem, verumtamen acri custodia septus est. Ejusmodi eventis valde commotus Cæsar in Urbe Praga tum agens, nec fraternæ modo cladi, periculisque, sed etiam dedecori universi Austriaci sanguinis ingemiscens; Bohemiæ proceres ad eam ulciscendam injuriam meditata oratione incitare conatus

est.

eſt. Illi habito conſilio reſpondere: a Maximiliano cinctam obſidione Cracoviam, proximas regiones incendio, rapiniſque vaſtatas, capta Caſtella, dirutas villas; contra a Polono pro focis, ariſque pugnatum; optimo jure vim vi repulſam; nullam ſibi videri ſubeſſe juſtam cauſſam Polonos bello publice proſequendi; violandæque Societatis, quæ inter utramque gentem præter mutuos uſus atque commercia, ſanctis etiam legibus intercedat. Se quidem ad tuendum Sileſiæ, ſi res ferat, limitem ſubſidia decreturos; ad arma finitimis inferenda nequaquam. Hac ſpe deſtitutus Cæſar, ſecumque reputans, quam non ſuarum virium, ſi per ſe niteretur, expeditio hujuſmodi eſſet futura; dimiſſo in præſentia, quem conſcripſerat, milite, ad leniora conſilia flexit, atque ad conſultandum in communi cauſſa propinquos accivit; ſollicitos dumtaxat, quonam pacto in tanta rerum, ac temporum iniquitate, æquis conditionibus, & ex Auſtriaci nominis majeſtate, pax convenire poſſet. In ea deliberatione fluctuanti, peropportunum, perque gratum (licet in Proteſtantium gratiam, & oſtentandæ fiduciæ primo diſſimularet) accidit Pontificis maximi ſtudium, ſuam in id operam, & auctoritatem amiciſſime deferentis. Quod ubi ſenſit Pontifex, ac prætentata utriuſque partis voluntate, neutram a concordiæ mentione abhorrere perſpexit; in eam ipſam pacificationum curas, & cogitationes acrius cœpit intendere. neque vero fallebat præſtanti judicio virum quantæ molis ea foret diſceptatio. Ergo perquam accurata diſquiſitione cogitanti, cui potiſſimum ejuſmodi provinciam deſtinaret, idoneus inter alios occurrit (quem e Rotæ Auditoribus in Sacrum Collegium a ſe nuper adſcitum, honore Pœnitentiarii majoris inſeper auxerat) Hippolytns Aldobrandinus, illuſtri, ac perantiqua florentinas inter familia, Sllveſtro Juriſconſulto clariſſimo patre natus, ſumma ipſe legum peritia, flagranti religione, plurimo rerum uſu, & graviſſimis in Chriſtianæ Reipublicæ negotiis diu multumque ſpectatus; & (quod in tali cauſſa maximi erat momenti) minime imbuto partibus animo. Hunc perhonorifico inſtructum comitatu, nullis certis mandatis, tantum, quæ in re præſenti locus, ac tempus monerent, exequi juſſum, ineunte vere in Poloniam ab ſuo latere magna cum Senatus approbatione legavit. Is ad propitiandam in primis Dei matrem aureis e ſua tenuitate quingentis Ædi Lauretanæ dono tranſmiſſis, & quacumque iter habuit, relictis non obſuris & pietatis Chriſtianæ, & egregiæ domeſticæ diſciplinæ veſtigiis; & Oeniponti primum a Ferdinando, Lyntzii mox a Matthia; poſtremo Viennæ ab Herneſto Auſtriacis, per ſummam venerationem exceptus eſt. Inde relicta ad lævam Praga, nequid feſtinatus cum Cæſare congreſſus Polonis incommodæ ſuſpicionis afferret; Cracoviam recta contendit: atque ad ſecundum ab Urbe lapidem obvium habuit Sigiſmundum cum equitibus ex prima nobilitate quingentis (in queis alati complures,
aut

aut ferarum pellibus horridi, Scytharum terriculamenta) peditumque fistulatorum, quos Aiduchos vocant, septem cohortibus, qui non uno loco repetitis ex arte bombis, effusæ cujusdam edidere signa lætitiæ. Eo comitatu, lævum semper tegente Legati latus ipsomet Rege, portam intranti præsto fuit sacro cum Cleri totius agmine Episcopus Civitatis; a quo porrectam sibi de more Crucem pie osculatus, ad maximum templum, digresso jam Rege, perducitur. Ibi fusis ad Deum precibus, & reliquis cærimoniis e rituali peractis ad hospitium divertit; lauta omnia ab Rege splendide præbita, & nullum utrimque comitatis, aut humanitatis officium prætermissum. Primo dein Senatus die introductus in Curiam Legatus, ad Regis dexteram sub eadem umbella consedit: prolatæ Pontificis Maximi literæ cum illustri testificatione eximiæ cujusdam in Polonos omnes benevolentiæ, quas Legatus ipse apto ad rem sermone est subsequutus. Gratiæ ab Senatoribus reverenter actæ, ac nihil eo die de controversia communi relatum est. Post hæc Legatus ad liberandum protinus e custodia Maximilianum toto pectore incubuit; quod & Pontificem valde cupere, & Cæsarem ardenter optare non ignorabat. Ergo ad privatum Regis colloquium admissus, modica interposita quiete, in hunc fere modum exorsus est. "Et pastoralis vigilantia, qua pro universo Christi excubat Grege Sanctissimus Dominus noster, & præcipuus amor, quo nobilissimum hoc Regnum amplectitur, & circumspecta etiam, atque etiam singula Reipublicæ membra, Serenissime Sigismunde, in eam sententiam optimum, ac sapientissimum Virum adducunt, uti Maximilianum Archiducem bello captum a tuis, liberum abs te dimitti, non tibi minus, quam ipsi Maximiliano censeat expedire. Sed tantum hoc beneficium, quo majorem tibi, & gratiam, & gloriam pariat; cum sine mora tribuendum est, ne diu noluisse; tum sine ulla deductione, vel pretio, ne datum in fenore potius, quam in munere posuisse, videare. Equidem tam præclaras de quolibet homine benemerendi occasiones, vita ipsa mercandas existimo. Quanto dignior, quem omni benignitate, atque officio prosequare, Maximilianus hic, tam insignibus corporis, animique ornamentis, tot nobilium clientelis, tot Cæsarum imaginibns, tot Procerum, Ducum, Regum, ac præsertim Philippi Catholici tam arcta cognatione præfulgens. Te Deus immortalis jam ante Svetiæ Imperio destinatum florentissimo insuper hoc Regno Poloniæ, vel fractis, vel repente conversis ad te adversariorum opibus, auxit. Quod illustrius edere potes grati erga superos animi documentum, quam Christi caussa incolumitatem ac salutem illi ipsi liberaliter dando, qui tecum armis de sceptro ac de majestate certavit? Quid porro ad nominis tui famam, atque ad omnis posteritatis memoriam gloriosius, quam rerum humanarum vicissitudinis memorem, & secundis rebus moderate ac sapienter utentem, atque imperantem tibimet, ipsam quodam-

modo

modo viciſſe victoriam. Specioſe forſitan hæc jactari, dixerit quiſpiam, „ antiquorum hominum eſſe præcepta; longe nunc aliis moribus, atque „ inſtitutis agere ſæculum; honeſti formam ac pulchritudinem negligi; „ cuncta ad imperandi rationem, atque ad utilitatem referri. quin etiam „ ex ipſa Auſtriaca gente Caroli Quinti exemplum objiciat, qui ſuperatum „ acie, comprehenſumque Franciſcum Galliæ Regem eo nomine primum, „ re diu multumque agitata, non ante ſolverit, quam ab eodem „ ſuper ingentem pecuniæ vim, alia quoque non levis compendii compromiſſa „ obſidibus acceptis exprimeret. Hiſce igitur, aliiſque ejuſmodi „ rationibus, & eventis conſiliarius aliquis fortaſſe non infidus, certe impoſterum „ non valde proſpiciens, ea quæ dicere inſtitui, refellere, aut „ elevare conetur. Quid ſi Pontificis Maximi plena decoris, & ſanctitatis, „ & clementiæ monita, eadem ad conſtabiliendam tibi dominationem, „ & nutantis adhuc Regni firmandum exordium, non modo tutiſſima, „ ſed etiam in primis neceſſaria eſſe demonſtro? Ac primum illud „ ſine dubitatione ponendum eſt; ad componendam ab interregni perturbatione „ Poloniam, domeſtica vulnera perſananda, conciliandas omnium „ voluntates, opus eſſe ab hoſte quietem, ab cive concordiam. Atqui „ neutrum, niſi manumiſſo comiter Maximiliano, obtineri diutius poterit. „ Nam hic quidem rerum ſtatus ad vindicandum omni conatu aut „ Germanum fratrem, aut valde propinquum, vel ipſo tacente, Auſtriacos „ univerſos, ac præcipue Regem Hiſpaniarum dies noctesque ſolicitat. „ At quem Regem? Totius Chriſtiani Orbis validiſſimum; omnes „ ab omni memoria Reges Imperii latitudine ſuperantem; tot maritimas, „ ac terreſtres alentem copias; tot exercitatos in bello duces, ac milites; „ tanta non ſolum ex fertiliſſimis Europæ Regionibus, verum etiam „ ex Orbe novo, Indiaque, & ipſis demum Antipodibus vectigalia capientem. „ qui ſi ad neceſſariam cognati ultionem cum Cæſare, ceteriſque „ gentilibus arma conſociet; quæ ſpecies Polono eſſe poteſt tantæ „ conſpirationi, tantiſque viribus humana ſpe, conſiliove abſiſtendi? Quid „ ſi ex alia parte eodem tempore ingruat Moſchus Polonico nomini ſemper „ infenſus? Quid porro ſi intra Poloniam ipſam, vel qui Auſtriaco „ adhuc tacite favent, vel qui odio præſentium, ut fit, cupidine mutationis „ tenentur, ſeſe ad externos adjungant? vel denique Turca ipſe „ inter noſtrorum certamina, quum maxime imbecillem eſſe Chriſtianam „ rem ſenſerit, repente ſe infundat, cuncta deformet incendiis, omnis „ ætatis ac ſexus mortales in ſervitutem adducat? Hæc tibi, tuiſque, „ Rex, etiam atque etiam reputanda ſunt, neque tam lucri, vel commodi „ præſentis illecebra, quam futuræ calamitatis non dubia expectatio „ in conſilium adhibenda. Nam quod ad Caroli Quinti præjudicium „ attinet; id vero ejuſmodi eſt, ut ſanæ quemlibet mentis, non tam „ initia facti ejus ad imitandum, quam exitus ad evitandum impellere „ debeant. Qui ſi piorum, ac prudentium obtemperando monitis traditum „

„ tum ſibi divinitus clariſſimum Regem extemplo patriæ incolumem red-
„ didiſſet ; præter æternum conſcientiæ fructum , & conſonantes humani
„ generis acclamationes ac plauſus , ipſum quoque Franciſcum, qua erat
„ altitudine animi , in perpetuum ſibi devinctum , atque ad omnia pa-
„ ratiſſimum inæſtimabili rei Chriſtianæ bono ſcilicet habuiſſet . Hunc
„ dum fallaci ſpecie mercedis illectus, inclytum Regem cuſtodibus cin-
„ ctum ægritudine primum animi contabeſcere patitur ; dein ad immane
„ pretium redemtionis, aliaſque duras conditiones adactum , acceptis in-
„ ſuper obſidibus atque pignoribus , vix tandem Gallicæ nationi reſti-
„ tuit ; uſque adeo exacerbavit, uti icto cum Turcis fœdere, non ipſum
„ modo Cæſarem acerbe deinde vexaverit ; ſed etiam univerſam Chriſti
„ Eccleſiam, iis cladibus ac damnis affecerit , quæ pro magnitudine ſat
„ expendi, & ſine lacrimis commemorari non poſſunt. Melius & conſul-
„ tius multo Philippus Inſubrium Dux, qui afflictum infelici pugna de-
„ ditumque ſibi Alphonſum Neapolitanum Regem, tanto & in honore
„ habuit, & cum benignitate dimiſit ; uti non ſolum ex eo tempore
„ cunctas illius opes promtiſſimas in omne diſcrimen habuerit ; ſed etiam
„ ab eodem Regni heres in ſpem ſecundam fuerit inſtitutus . Hujus tu
„ præſtantiſſimi Ducis exemplo ſi Maximilianum Auſtriaci nominis am-
„ plitudini, ac dignitati donaveris ; primum Deo pacis , & conſenſionis
„ Auctori haud dubie gratiſſimum feceris ; dein præpotentes Reges , po-
„ puloſque arctiſſimo amoris vinculo tibi in ſempiternum obſtrinxeris :
„ tantumque aberit, ut armis te unquam laceſſant ; ut pro tua majeſta-
„ te, ac Polonicæ nationis incolumitate, ac ſalute quotieſcumque res fe-
„ ret , omne periculum atque dimicationem ſubire non dubitent. Id ip-
„ ſum de Maximiliani virtute ac probitate ſperandum eſt. Quod ſi re-
„ pulſæ, quam beneficii memor (quod abſit) in alienatione voluntatis ,
„ & in lædendi nihilominus cupiditate perſtiterit ; lingua fremat, licebit,
„ re quidem ipſa manuque (quando vanæ ſine viribus iræ) omni de-
„ ſtitutus auxilio, tibi tuiſque nocere profecto non poterit . Hæc ipſa ,
„ quæ pro demandata mihi provincia, hodie tibi a me fideliſſime expo-
„ ſita ſunt, Sixtum ipſum Chriſti Vicarium in terris coram tecum age-
„ re velim putes: qui amantiſſimi ac prudentiſſimi parentis inſtar, jur-
„ gantes rixanteſque filios æque ſibi charos omni ſtudet ratione compe-
„ ſcere ; ne duorum pernicies univerſam domum atque familiam trahat.
„ Quod vero ad me ipſum proprie pertinet, præclare intelligo, quantum
„ oneris in hujuſmodi legatione ſuſtineam : ac proinde quantum cura ,
„ labore, conſilio, ac denique votis aſſequi potero , enitar , atque con-
„ tendam ; uti meas in hoc tam pio, tamque ſalutari negotio partes, ne-
„ que is, a quo ſum legatus , neque tu, dilecte Deo Sigiſmunde, neque
„ mortalium omnino quiſpiam jure deſideret „ . Ad hæc audita ſuſpen-
ſo atque confuſo animo Sigiſmundus probe ſe percepiſſe ait , quæ ab
Legato in medium allata ſint ; ſed eam eſſe conditionem Polonicæ ad-

ministrationis, ut nihil majoris momenti Regi liceat, inconsulto Senatu, decernere. Ergo rejecta ad consilium re, dictisque sententiis responsum a partibus est. Quæ Legatus cum Sigismundo Sixti nomine privatim egerit, digna esse communi Generis Humani Parente, digna Sanctissimo Christi Vicario. Verumtamen de gratuita Maximiliani missione, integrum non esse. primum quod Magistri equitum ratio sit habenda, qui captum jure belli detineat; deinde quod inter ipsam deditionem Austriacus nonnulla spoponderit, quæ negligi salva tum ipsius religione, tum Polonici nominis vel re, vel dignitate, non possint. Ad pacem & quietem Polonos multis de caussis propendere; & si aditus ad compositionem detur, eas conditiones communi consensu dicturos, quas iniquitatis nemo non iniquus possit arguere. Ceterum ad hasce promendas non ante descensuros, quam exploratam sit armane Cæsar, an concordiam spectet: adhuc certis, Regi ac Senatui indictum ab Cæsare Pragæ conventum, tarditatemque hominis, ac taciturnitatem merito esse suspectam. Hisce auditis Legatus, non quidem ille de tota re, verum de Maximiliano in præsentia liberando spem pene abjecit; tentatisque per epistolas, ac per idoneos e sua cohorte viros procerum animis, qui procul a Cracovia diversis tum agebant locis, Cancellarii vero præsertim; postquam fere cunctos, ni aliunde vis afferretur, ad mansuetudinem atque ad otium pronos animadvertit; non jam per internuntios literæ suæ, sed ipsemet Cæsarem adire, soluto jam conventu, atque in mitiore sententia confirmare constituit. Magnificum ac lætum Cæsari id: neque pietate atque observantia in Sedem Apostolicam ab Sigismundo vinci se passus, adventanti Pragam Legato, ad tria ferme passuum millia extra Urbem, splendido ac numeroso cum equitatu gratulabundus occurrit. Uti propius ventum est; ad pedes ambo digressi, junctis aliquandiu dextris, plena amoris & charitatis miscuere colloquia. conscendere dehinc, & pari pompa pariter deducto ad Archiepiscopale usque hospitium Legato, ipse in arcem e regione positam se recepit. Clerus non uti Cracoviæ ad portam Urbis adfuit; ne semetipsa Catholicorum paucitas proderet; Parœciis ac Sacerdotiis fere omnibus Hussitarum, aliorumque hæreticorum scelere dudum occupatis. tantum in Æde maxima cum Archiepiscopo pusillus grex intranti Legato se per gaudium & adorationem ostendit. Ceterum quacumque cum Cæsare Legatus incesserat, tanta fuit omnis generis, & conditionis hominum concursatio studio visendi quam augustissimo ornatu unum ex Ecclesiæ Romanæ Principibus; uti undecumque conspectus esset, atque etiam extra conspectum, campi, plateæ, tecta, spectatoribus opplerentur; hæreticis ipsis majestatem ac speciem Apostolici Legati sine fine mirantibus, collacrimantibus ac propemodum liquescentibus gaudio, qui recta permanserant fide, quod imaginem quamdam reviviscentis in eo tractu Religionis avitæ, sibi cer-

cernere viderentur. Dierum aliquot moram necessario duxit eadem in Urbe Legatus. Quo tempore domum, & ipse ad Cæsarem, & Cæsar ad eum salutandi caussa venere. Simul etiam populum promto aditu, benignis alloquiis, obvia comitate, aulicos, qui sibi Cæsaris jussu apparebant, copiosa pariter ac scita largitione; Cæsarem ipsum, ac Principes modestia, labore, consilio, sed ante omnia fide, ac sinceritate demeruit. eumdemque Cæsarem facile adduxit, ut ad controversias cum Polono dirimendas, ad fines utriusque Regni decem viros destinaret. quod ipsum Poloni pro sua parte, Cancellario præsertim Auctore, jam ante detulerant. Eodem Legatus, ne quid ipsa dies afferret impedimenti, sine cunctatione se transtulit. Assignati Conciliis vici duo modico intervallo distantes; Bizinum in Poloniæ, Bitumium in Bohemiæ limite. Congregatis dein Procuratoribus, & in iis ipsomet Zamoscio, & factis in rem usque transactam induciis; contumaces adhuc partium animos, & utra ad alteram agendi caussa prior adiret, pravo certamine diffidentes, Legatus hilari semper vultu, quam apparatissimis epulis ad mutuos congressus, & opportuna colloquia sequester ipse admirabili patientia ac lenitate perduxit: posito utrobique domicilio prout res postularet ultro citroque vel aspera hieme, ac sæva tempestate concursans. Ad eas difficultates illud insuper accedebat incommodi, quod Sigismundus, & Maximilianus inter ipsam disceptationem, Regis uterque sibi titulum pertinaciter asserebat. quem nodum Legatus ea ratione potissimum expediit, uti pro Sigismundo Regni Poloniæ, pro Maximiliano Cæsaris, & Sacri Imperii vocabulis uteretur. Duos fere menses altercatio tenuit, arbitro semper, ac moderatore Legato, maturisque jam rebus, illud in primis acute, & sapienter ab eo provisum est; uti Rosembergio Cæsarianæ, Zamoscio Regiæ Aulæ Principibus, ac majorem in modum appetentibus famæ, actionis universæ clausulam (de industria semet extremo colloquio subtrahens) & peractæ compositionis in speciem, decus palmamque concederet. Ea Legati moderatione delinitis omnium omnino mentibus, denique pax in hæc maxime pacta convenit. Ut inter Austriacum omne nomen, Regemque Poloniæ, & populares, & stipendiarios utriusque, oblivione recentium, vetus amicitia fœdusque renovaretur. Uti Lubloam, & cetera ejusdem agri castella, vicosque cum omni bellico instrumento, & reliqua supellectili Cæsar Polono intra diem certum redderet. Sigismundus Maximilianum sine pretio, & cum honore in patriam restitueret. Maximilianus omni jure Polonici Regni sine controversia cederet, Regisque Poloniæ titulo in perpetuum abstineret. Sacramento aut alia sponsione sibi obstrictos Polonos omni religione, ac vinculo solveret; liberumque suffragium Ordinibus Polonis, si quo casu ad interregnum res rediisset, omnino relinqueret. In hæc, jusjurandum Cæsar, & Sigismundus per idoneos Legatos ab altero utroque

ad præfinitum diem exigeret. Eadem illa Maximilianus ipse cum primum suæ potestatis factus Silesiam attigisset, pari jurejurando firmaret. Hæc ferme a Legato Apostolico, Regnorumque procuratoribus communi consensu decreta. quæ propemodum ipsa Plezchinii Maximilianus Cancellario recepisse ferebatur. Ac Cæsar quidem, & Sigismundus nihil recusavere, quominus ea persancte una cum Senatu, & proceribus approbarent. Prior Sigismundus, dein Cæsar, tactis rite sacris, conceptam jusjurandi formulam, & verbo nuncupatam, & scripto, missis in idipsum internuntiis, edidere. At Maximilianus Regis mandato e custodia dimissus, ingenti gaudio Silesiam versus iter intendit: dati præter ceteram turbam primarii Senatores duo, qui & abeuntem, intra fraternam ditionem usque cum dignitate perducerent, & perductum sacramento statim in easdem conditiones adigerent. Ubi Biturnium est ventum, cum de pactis, atque promissis appellaretur, equitum Germanorum, qui gratantes occurrerant præsidio fretus, in magna nobilium corona est questus, quod e Polonis ii, qui suarum partium fuerant, contra jus gentium privatim, & publice vexarentur; dein quod ad jusjurandum attineret, conditiones pacis a procuratoribus utriusque Regni, se prorsus inscio, atque inconsulto fuisse conscriptas; nihil se ex iis, quæ tali transactione continerentur, aut Cancellario, aut ulli hominum promisisse; neque si promisisset metu coactus cadente in constantem virum, ulla teneri vel obligatione verborum, vel officii verecundia; proinde comites abirent cum bona pace, neque ultra sibi ad iniqua confirmanda pacta, vel preces, vel contestationes obtruderent. Per hunc modum a Maximiliano Senatores elusi. Neque tamen iccirco inter utramque nationem concordia valido nexu firmata dissiliit. Instigantibus ad arma quamlibet multis, stetere dictis nihilominus Reges ambo; & perniciosi belli terrore soluta in multos annos Ecclesia.

Legatus Aldobrandinus tanta confecta re, gloria plenus Romam revertit, obvio ad portam Urbis more majorum omni Sacro Collegio, magnoque cum plausu universæ Civitatis exceptus, in Senatum venit: ibi cuncta ad bonitatem ac providentiam Christi Domini, atque ad Sixti Pontificis felicitatem ac sapientiam, nec non ad comitum legationis virtutem & industriam referens, de semetipso pauca ac permodeste: subjicientibus apud se multa, qui seriem totius rei gestæ, aut literis amicorum aut fama consentiente cognorant; fastigiumque in quod postea ascendit, in illa tum actione, plerisque ominantibus. Magnum præter hæc, & illustre dedit Apostolicæ integritatis exemplum, quod annuam trium auri millium e Bariensi vectigali pensionem ab Sigismundo sponte delatam, non modo ipsius largientis benigna invitatione precibusque, sed ne Pontificis quidem hortamentis, ad quem super ea donatione scripserat Rex, unquam ut acciperet adduci se passus est.

eſt. At Sixtus tam ſecundo rerum Polonicarum eventu mire lætus, ingentes, uti æquum erat, grates Deo, ſuperiſque perſolvit. Non tamen eadem ex Eccleſiæ Gallicanæ progreſſu laboris quotidiani ſolatia capiebat eo tempore Pontifex. Quippe cæſis, aut pulſis (uti dicebamus) hæreticis, quorum pars magna cum conjugibus liberiſque e Germania profecti, opimos Celticæ campos occupare, atque in ipſa Urbe Lutetia domicilium collocare ſtatuerant; Sixtus victoria utendum, & in ipſa Gallia Chriſti Regiſque perduelles eodem impetu profligandos, ac delendos ratus, Henricum ad tam præclara trophæa per literas, perque Apoſtolicum Nuntium Franciſcum Maurocenum Epiſcopum Brixienſem (quem paullo poſt quo majori cum dignitate res gereret, ipſiuſmet Regis rogatu, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & Legatum a latere declaravit) hortari ac ſtimulare non deſiſtebat. Ille quamvis id ipſum votis omnibus expetere ſeſe affirmaret; tamen expeditionis differendæ moras aliam ex alia nectere, inopiam cauſſari pecuniæ, non modo ſacras decimas exigendi (cui nimio plus inſueverat prædæ) ſed etiam Eccleſiaſtica bona ſenſim alienandi efflagitare facultatem ac jus; fœderatorum Principum contumaciam, atque perfidiam accuſare, qui communicatis cum Hiſpano perenni Galliarum hoſte conſiliis, non uno loco, ac præſertim in Piccardiæ ac Normandiæ finibus, ubi utique Hugonotæ eſſent nulli, clandeſtinos habere cœtus; oppida ſe invito munire; denique religionis obtentu imperium ſtruere ſibi non dubie pergerent. Lotharingiorum vero fratrum, ac potiſſimum Guiſii prorſus intolerandam eſſe dominationem; plures ad eum, quam ad ſemet concurſus hominum fieri; duas propemodum, ſe vivente, ac ſpirante regias jam nunc in Gallia conſpici. orandum profecto Deum, ut hiſce contentus, ab juſti Regis capite ac ſanguine abſtineat manus. Hæc nuntio, ceteriſque ſuaſoribus Hugonotici belli Valeſius reſpondebat identidem: diuque apud ſe penſitato, qua maxime via, vel debilitandæ rurſum, vel omnino ſolvendæ Janvillanæ conſpirationi reſiſteret; optimum ante omnia viſum animos eorum, qui Lotharingiis ex occulto faverent, Lutetiæ primum, tum aliis in Civitatibus omni arte nudare, ac deinceps e Tarquinii præſcripto papaverum capita paullatim ac ſine tumultu decutere. Hoc ille conſilio Pariſiis hiemem totam exegit, ſubdola comitate ſemet privatorum colloquiis, choreiſque, & conviviis inſerendo; rimandis atque introſpiciendis civium & peregrinorum voluntatibus, ac per eam diſſimulationem vafritiemque ſatis comperto quinam præcipue Guiſianas foverent partes; repente propinquis e locis præſidiarios partim Gallos, partim Helvetios ad ſeptem armatorum millia Lutetiam evocat: ac vix dum certa luce ad portas Urbis, ad viarum aditus, perque compita & fora diſtribuit. Ejus machinationis rumor cum ad cives ante manaſſet (ut ſunt ferme ſatellites regum ad commiſſa tegenda inſtabiles & infidi) ad ſubita omnia excubantes

in-

intenta cura Parisienses, Guisium e secceſſionibus, ubi tum fœderati concilium habebant, per trepidos nuntios accerſierant; tali præside ac duce nihil metuentes gravioris incommodi. Ergo ubi primum dispositæ per Urbem prætoriæ cohortes apparuere, conclamatum a sexdecim viris est; viæque peranguſto vix ad unius hominis transitum relicto spatio, partim craſſioribus catenis, partim doliis trabibusque raptim interseptæ ac firmatæ præsidiis, & initio a Scholasticis facto quinquaginta amplius hominum millia momento in armis fuere. Hoc nuntio territus Rex, quod hujusmodi consternatio valde præter ejus opinionem acciderat, rixaque cum oppidanis contracta in mercatu maxime novo (id loci nomen) Helvetii ad quadraginta ceciderant; extemplo misit e proximis amicorum insignes militum Tribunos, qui furentem iracundia populum accomodata ad tempus oratione lenirent. ii cum aspera non sine minis undique responsa tuliſſent, neque jam exiſteret ex aula qui sese concitatæ multitudini auderet objicere; eo decursum ab regiis est, uti Guisium ipsum domi in tanta rerum perturbatione quiescentem ad comprimendos motus, opemque Prætorianis ferendam suppliciter invocarent. ille propemodum inermis in publicum egreſſus quacumque se ostenderat, summos infimosque ex ejus ore pendentes blanda oratione permulcens populum ab inchoata jam cæde compescuit; & commemorando pericula seditionum, ac debitam Regiæ majestati fidem, servatæ denuo Reipublicæ decus eximium tulit. Constans fama est, Guisium illa die, nisi ambitionis ac perfidiæ notam extimuiſſet, summa totius Civitatis alacritate regium nomen invadere, inque ipsum Henricum in Regia Lupara latitantem arbitratu suo potuiſſet consulere. Sed is dum inanis popularis auræ, & infaustæ potentiæ ostentatione contentus Henricum incolumem abire permittit; paullo post docuit eventu ipso, ferenda Regum ingenia moresque; neque antevertendam in eo genere numinis providentiam; magnisque, & arduis in rebus nequaquam aggredienda quæ vel perrumpere nequeas, vel perpetrare non audeas. Namque dum ingentem trahens turbam Guisius celsa cervice vicos Urbis plateasque perluſtrat, immodica sui nominis fruens gloria; Henricus metu, ne intra Luparam obsideretur, furtivo egreſſu tamquam animi cauſſa, hortos in vicino peteret pedes paucis admodum comitibus; conscenso postmodum equo Carnutum festine sese proripuit. cujus rei fama vulgata, confestim ad eum, & officii, & præsidii cauſſa viri nobiles undique confluxere, atque interim Catharinæ matris industria, Guisii auctoritate sedato Parisiis utcumque tumultu, legationem Magistratuum nihil ab sese civibusque dolo malo tentatum fuiſſe purgantium, direptionis dumtaxat metu externorum militum neceſſario repreſſam audaciam; Henricus dolorem alte premens, in speciem clementer accepit; ac paullo post simulata erga fœderatos benevolentia, quasi Catholicum omne nomen, vel cum aliqua sua

in-

indignitate condonatis Christo inimicitiis, junctum sibi adversus Hugonotas vehementer optaret, conventum omnium Ordinum Blesas in proximam æstatem indixit: ubi communi consilio compositis rebus, & emendatis, quæ in publicam rem privatamque irrepserant, vitiis, omnium arma viresque in hæreticos verterentur; atque ita felicissimum olim Galliæ Regnum, & Apostolica recta Romana religio in veterem splendorem ac firmitatem longo intervallo rediret. Simul, quo majorem dictis fidem adstrueret, Carolum Maynensium, & Ludovicum Nivernensium Duces, alterum in Delphinatas, alterum in Pictones (quas maxime provincias hæretici jampridem insederant) cum imperio destinavit. Hac spe inducti Catholici Principes plerique, & procuratores Civitatum Ordinumque Blesas brevi tempore convenerunt: Guisius aliquandiu incertus animi, ac Regis in se voluntati non sine caussa diffidens, tamen advenit, atque ab Rege per summam humanitatem acceptus est: ab eodem inusitati honores per idipsum tempus habiti fœderatis aliquot, & iis præsertim, qui Ecclesiastici Ordinis erant, ad graviores de publica re consultationes extra ordinem adhibiti: quin etiam per speciem offensionis ablegati ex interiore aula, ipsoque conventu, qui Janvillanæ caussæ maxime infensi, infestique habebantur, ac nihil propalam omissum, quod ad Guisianos deliniendos ac demerendos tali tempore pertineret. Interea tamen Rex, & ipse per se, & per solertes callidosque emissarios oratione suspensa, variisque interrogationibus explorare clam institit, num qua ratione Guisius per appositos accusatores, die ad concilium dicta, læsæ majestatis & affectati Regni crimine posset everti. Ubi pertentata, quod satis erat delatorum telis impenetrabile, flagrantissima nobilissimas apud Civitates gratia, & si ex aperto peteretur, omni coitione manuque superiorem animadvertit; dolo ac fraude contra invisum sibi pridem caput, nullo Dei hominumque respectu grassari constituit. Questus diuturna Galliæ mala, distractas voluntates opesque, & invecta Dæmonum instinctu nefaria dogmata, licentiamque vivendi; feria sexta (qui dies fuit decimus Kal. Januarias) sacrificium ad placandas cælestes iras, corpusque Christi sumendum uti solebat, ædiculam suburbanam indicit; ac protinus ex aula, quo proceres deliberandi gratia de more convenerant, in superiores ædium partes per caussam arcani colloquii Guisium accersit; eodemque temporis momento e fœderatorum numero Carolum Borbonium Cardinalem regii generis, Ludovicum item Cardinalem Rhemensem Archiepiscopum, Guisii fratrem, una cum Petro Archiepiscopo Lugdunensi, ac præterea Guisii filium tenera admodum ætate, & Dynastas aliquot ejusdem propinquos, aliosque nonnullos ex eadem societate in custodiam tradit, Christi natalitiis imminentibus. Atque ipse quidem Guisius abditis intra aulæa percussoribus, delitescente in penetralibus Rege, continuo trucidandus objicitur; ac biduo post (qui dies erat

Ste-

Stephano Protomartyri Sacer) Ludovicum, a quo inauguratus, & facro delibutus chrifmate fuerat, a Petri complexu illacrimantis avulfum, Rex pari genere leti mactavit. exanimis jam artubus adjecta per fævitiam vulnera. gratiffimum inde fpectaculum haufit Henricus, tamquam e diuturna follicitudine ac metu fefe tum denique Regem effe pronuncians. Neque fatiatus vivorum infando fupplicio, cremati corporis utriufque cineres, patrio in perduelles genere pœnæ, fepultura prohibitos, in profluentem abjecit. Ac ne duo quidem Guifiorum proximi abfentes Mayneus frater, & Aumalius Parifios nuper e Piccardia delatus, ...
Urbem, feque ipfum firmiffimo præfidio muniit, & e Valefianis circiter octingentos in vincula conjecit; qua in Urbe thefauris jam ante correptis, occupatifque navalibus, a Luparæ ipfius direptione vix ægreque temperatum eft. Mayneus Lugduno, ubi tum ipfius Henrici (uti dictum eft) miffu in Delphinates hæreticos exercitum comparabat, in Burgundiæ (cui dudum provinciæ præerat) tuta loca fefe recepit, irarum molem ex alto ciens, & parricidæ Henrico noviffima exempla minitans, brevi affuturus in ultionem; undique auxiliis haud fine cauffa confifus, quippe fuper vetera Valefii, vel probra, vel aufa, recens ejufmodi facinorum atrocitas haud dubie novas Regis invidiæ fubdiderat faces, ut quacumque incederet ipfe, aut facti fama, vulgo eum Catholici execrarentur. neque execrationes in irritum jactæ; quemadmodum in loco reddemus. Luxere & Guifium, & Cardinalem omnes fœderatæ civitates, Lutetia maxime, & exquifitis honoribus amborum exequias, ac nomina profequti Cives tali obita morte; haud dubie Chrifti martyrem utrumque appellantes; & fuis orbati amoribus, cum aliquandiu lamentis cuncta complerent; Senatu fuper tali cafu aliquoties habito, tandem eo devenere, uti communi decreto quandoquidem innata Gallis vel injufti Domini patientia, Regem inviolatum, intactumque præftaret; a Summo Saltem Pontifice per literas, Oratorefque acre judicium inauditi fceleris, ac fpretæ religionis dolenter expofceret. Sixtus audita duorum Lotharingiæ Principum acerba nece, juftis de cauffis omiffa Guifii mentione, Cardinalis exitio apud Senatum vehementer indoluit; Regifque in eo immanitatem, ac facrilegium deteftatus, de Patrum fententia per monitorium libellum diras omnes Valefio interminatus eft, nifi & Cardinalis interemti rationem redderet, & inclufos aliquos Sacerdotes quamprimum liberos abire permitteret. Interea Carolus Emmanuel Philibertus Subalpinorum, & Sabaudiæ Dux, Philippi Regis Catholici gener, juventa ferox, nec fatis dum adverfis rerum eventibus ad cunctationem eruditus; dum Galli ad internecionem inter fe contendunt, ad occupandos in proximo Salaffiorum fines diffimulanter animum intendit. Subalpinæ regionis in Occidentem clauftra firmiffima; ac proinde tenenti

nenti ea Gallo tranfitum in Italiam præbentia. peditum octo millibus, equitibus ferme fexcentis, Carmaniolam primum ejus tractus oppidum, & fitu & opere munitiffimum, oftentata in fpeciem aliquot dierum oppugnatione, fed præfecti (uti creditum eft) avaritiam emercatus, brevi recepit, cum arce ipfa; quam in arcem Galli poft Cameracenfem pacem detracta variis e locis muralia & campeftria tormenta circiter feptingenta condiderant. Carmaniola accepta, iifdem artibus deinceps Salafiorum Urbe potitur, quod caput eft gentis: itemque Centale, Rivellio, aliifque non levis momenti Caftellis, quæ modico & male fido Henrici Regis præfidio tenebantur. Hoc tanto, tamque repentino motu, Carolus cum præclare intelligeret quantum fibi apud omnes nationes conflaretur invidiæ; confeftim & per literas plerifque nominis Chriftiani Principibus, & Legatis eorum apud fe commorantibus coram expofuit, fe ad occupandam Salaffiorum ditionem; tribus maxime de cauffis adductum fuiffe. Studio primum Divini cultus, ne tam propinquis e locis Calviniana peftis in Italiam irrumperet; dein amicitia, & cognatione Regis Henrici, cujus ad famam, atque ad imperium pertineret, improbos ejus miniftros, venalefque, & occulta cum Hugonotis habentes colloquia, quamprimum e regiis præfecturis, atque præfidiis exturbari; quippe qui etiam oblata non femel ab fe ad fideliorem tutelam auxilia, fuperbi pariter, ac malitiofe rejeciffent; poftremo, quod fuæ, fuorumque falutis non mediocriter intereffet, impia confceleratorum arma ab Taurinenfi limite quam maxime procul haberi. Ceterum ad amoliendum omnem ab fe cupiditatis notam prorfus deliberatum fixumque fibi effe ea ipfa, quæ invafiffet loca, dum Gallicana procella defæviret, vel vicario, vel fiduciario nomine integra & illibata Henrico quam optima fide fervare. Sub hanc orationem, & fcriptas quoquoverfum epiftolas, certum infuper hominem ea ipfa de re in Galliam mifit; cujus legatione placatus in præfentia Rex, Caroli acta meliorem in partem vifus accipere. Aft ubi deftinato mox novo in Salaffios præfidi Ramboletto verba dari, & variis commentis, ambagibufque reftitutionem extrahi, & majeftatem fuam eludi animadvertit; enimvero implacabili exarfit iracundia, ad repetendas doloris fui pœnas extemplo ducturus, nifi eum Blefenfis conventus nondum confecta negotia, & Parifienfis, aliarumque Civitatum acerba defectio, frementefque hinc Hugonotæ, inde Catholici, & alia propius ruentia diftinuiffent mala. Sane ceteros quoque rerum humanarum fpectatores inopinata Caroli pertinacia vehementer offendit. Philippus ipfemet Socer Apoftolico Nuntio fcifcitanti ecquid fuiffet ejus confilii particeps? ecquid actionis in Salaffiam ditionem Philiberto competeret? fe prorfus infcio rem accidiffe, & Jurifconfultum egregium Francifcum Veram in Taurinos, ad totam cauffam probe cognofcendam brevi miffurum effe refpondit. Sixtus dumtaxat, cui arcendæ contagionis hæ-

reticæ antiquiſſima erat cura, neque improbavit factum, & turbidis adeo Galliæ rebus, inque Italiæ faucibus hærente ſagaciſſimo novatorum anteſignano Digueria, Subalpinum omnem agrum, & incertæ fidei loca interim a pio & ſtrenuo Duce, pro Rege obtineri lætatus eſt. Eodem tempore de Hiſpanicæ claſſis progreſſu valde ſollicitus, quam ex Olyſſiponenſi portu paullo ante profectam eſſe conſtabat; Alvaro Bazanio vita functo, cui uni, & expeditionis regimen, & victoriæ palmam vulgo deſponderant; ſuffectoque Methymnæ Sidoniæ Duce Petro Lupio Guzmanio, clariſſimo viro illo quidem, verumtamen rei bellicæ, ac maritimæ præſertim haud ita perito. Ad ejus claſſis famam Angla pſeudoregina, ſuis rebus haud ſine cauſſa metuens, omni dudum arte conatuque ſeſe paraverat. Ac primum verita ne Jacobum Scotiæ Regem Philippi artes, & pius & juſtus e matris nece dolor, & facta nuper in Scotiæ agrum ab Anglis incurſio, Catholicas in partes ingenti ſuo periculo traheret; Legatos ad eum miſit, qui maternæ cædis culpam in quotidiana Romani Pontificis, & Philippi tentamenta, crebraſque popularium conjurationes, ac demum ſevera Senatus Anglicani judicia transferendo, Eliſabetham alioquin optima in Mariam voluntate fuiſſe affirmarent: in Scotiæ agrum a limitaneis præfectis, ut fit, ipſa plane inſciente, incurſatum. qui tamen profligati, cæſique meritas audaciæ pœnas dediſſent. Ceterum quando præterita revocari non poſſint; ſuæ, ſuorumque incolumitati Rex, tam aſpera inſtante procella, conſuleret: ne ſeſe ab callido ſene ſpecioſis pollicitationibus in fraudem induci, permitteret. Italiam univerſam una cum omnibus ferme Tyrrheni maris inſulis, partim illi ſtipendiariam eſſe; partim per factiones, ac largitiones obnoxiam: Germaniam ſuperiorem magna ex parte a propinquis ejuſdem Auſtriacis longa majorum poſſideri jam ſerie; inferiorem, quod jura vetuſta, legumque ſocialium fas repetierit, prima nobilitate propalam interfecta, intolerabili jugo dominationis oppreſſam. Luſitaniæ Regnum ambigui juris, vel pulſis, vel circumventis, vel abſterritis metu competitoribus interceptum: Galliam porro, quæ una ipſius conatus valeat impedire, ejuſdem aſtu implacabilibus diſcordiis irretitam. Ab eodem immenſa in Occidentem ſpatia, cum opimis argenti, aurique fodinis, necnon ampla, & quæſtuoſa Orientis emporia inanibus conquiſitionum titulis obtineri. Poſtremo Angliam totam ſpecie religionis, revera ditionis proferendæ, ſuoſque ditandi ſatellites, hianti cupidine peti. Quid jam reliquum eſſe quominus ad unius libidinem omnium rerum poteſtas, arbitriumque perveniat? Proinde ſi qua Jacobum ſuæ dignitatis ac libertatis teneret cura, omiſſis cum finitima, & conſanguinea Regina diſſidiis, animo ingenti ſeſe ad patriam ab Hiſpanorum aut vi, aut inſidiis tuendam, Eliſabethæ exemplo, & auxilio compararet, vel reſiſtendum obnixe orbem terrarum affectantibus, vel ſceptra jam tum utrique abji-

abjicienda, regnoque protinus excedendum esse. Hisce auditis, vera, & prudenter prospicere, & fideliter pronunciare Elisabetha Jacobo, & Consiliariis visa. Ergo ut communis ab externo pavor vel inimicissimos inter se connectit; pax & societas nationem inter utramque levi momento coaluit. Per hunc modum reconciliata cum adolescente amicitia, compositisque in proximo rebus, ad præcavendos internos motus acrius multo, quam solebat, incubuit. Erat in Anglia magnus eorum numerus, qui ab recta in Deum fide, atque ab auctoritate Romani Pontificis nullo exilii, proscriptionis, pœnarum, aut necis exemplo absterriti, arcanos cœtus ritu nascentis quondam Ecclesiæ, & pia colloquia, & stata sacrificia celebrabant. Ex iis Elisabetha nobilissimum quemque, & præcipua apud plebem existimatione suspectos, quamquam metu ne proderentur, seu peregrinæ dominationis odio, sua in bellum studia ac nomina profitentes; tamen dum tempestas transiret, in custodiam dat. Simul toto Regno juventutem, accitis e Belgio veteranis, conscribit, atque centuriat. & delectu coacto supra centum armatorum millia, copiis ita distributis, uti mediterranea regione haudquaquam præsidiis destituta, circa maritimam oram, quacumque appulsus maxime timeretur, eo confestim quina dena circiter millia propugnatorum occurrerent: ipsa dein cum paucis lustrat exercitum, ordinesque subinde interequitans, cunctos ad superbum avarumque arcendum hostem, ac pro focis arisque acriter dimicandum, intrepido vultu laudibusque ac promissis accendit. Classem insuper centum amplius navium bipartitam, insignibus navali gloria præfectis, in queis Franciscus Dracus eminebat, plurimo cum honore verborum attribuit. Eadem tempestate Farnesius validum in primis exercitum Philippi jussu contraxerat; cum Guzmanio pariter in Angliam trajecturus: equitum peditumque ad quadraginta millia miro in hæreticos ardore convenisse ferebantur. Destinata ad recognoscendum oppida maritima duo, Neoportus, atque Duncherca. Adversus id malum Elisabetha Batavas mari præpollentes, ac sibi tum caussæ communione, tum latis haud semel genti suppetiis vehementer obstrictos, quam instructissimis navibus, e proxima statione accessus, egressusque hostium obsidere, atque omni ope providere jussit; ne duo duces tanto cum apparatu in Anglicani Regni, sociorumque perniciem, arma, viresque conjungerent. Interea Philippi classis admirabili expectatione, uti memoratum est, e Lusitania solverat. trecentæ ferme varii generis erant naves; insana magnitudine complures, arcium instar. in iis præter immensam nauticam turbam, milites partim mercenarii, partim voluntarii, admixtis proceribus, atque Dynastis numerabantur ferme triginta, hispani omnes, paucis admodum exceptis, quo penes eam nationem præcipuum Angliæ subactæ decus, ac præmium foret. Majora, minoraque tormenta pro navium amplitudine, ac numero; gladiorum, hastarum,

telorumque non modo in usum classis affatim, sed etiam ad instruendos insulanos inermes; quandoquidem exulum spes admota cupiditati ad prima conspecta Hispanorum signa, magnam Catholicorum vim, obsequio promtam ad litus obviam fore spoponderat. Hac tanta virium mole circa Maji mensis finem, quamquam adverso vento (quando Philippus per literas, nuntiosque pro imperio urgebat) e portu egressos, moramque haud procul ab terra vario velorum flexu trahentes prospera per aliquot dies aura promovit: plenisque velis in Septentrionem euntes, atrox repente circa horam Calaicam tempestas adorta disjecit. Guzmanius, dum reliquum procellæ exsæviret, ad Corunias emporium ejusdem oræ tamdiu stetit, quoad per speculatorias admonita, reliqua classis eodem conveniret. Inde proræ in Anglicanum directæ fretum, quod illi nomen fecit in arcta unius diei spatia ab Gallico, & Anglicano litore coactus Oceanus. Ibi primum hostes apparuere, & Guzmanius occasione pugnandi lætus classe ad confligendum instructa, hostem ad universum certamen diu est conatus elicere. Ille viribus longe impar, uti a conserenda cominus manu consulto abstinebat, ita Numidicum in morem lacessendo invicem, ac refugiendo, magnitudine inhabiles, & oneratas comeatu adversariorum naves, æstu, ventoque ex arte prærepto, mira velocitate, & agilitate, nunc ab tergo, nunc a lateribus fatigare, distrahere, avulsas ab reliquo agmine circumsistere. & eo ipso die forte accidit, uti Petri Valdesii Legati egregia navis, qua, præter ceteram non levis pretii supellectilem, quadraginta auri millia in militum stipendia vehebantur, distracto crebris tormentorum ictibus malo subsisteret. Cumque ab antecedentibus vento ingruente, ad subveniendum, vela demitti non possent, in eam frustra molientem ab Anglicis duabus, illico impetus fit. Dubio eventu aliquandiu certatum. Superveniente dein cum alia manu Francisco Draco, Valdesius amissis e suorum numero circiter quadringentis, vivus excipitur. navis cum dite gaza, tormentisque ad quinquaginta, in Angliæ portum nomine Plemuthum abducitur. Inter quæ Guzmanius præmonito perquam accurate Farnesio uti paratas ad litus haberet copias, dum ab eo responsum expectat; progressus inde, nec levibus ab hoste detrimentis acceptis, e regione Caletii, (qui locus Gallico tum præsidio tenebatur) ad Jecium portum (Cæsaris fuisse multi conjectant) haud ita longe a Dunquerca ancoras jacit: deque rerum suarum statu rursus Farnesium per certos homines edocet. Ad eam infestandam stationem, classemque dissociandam insigni calliditate Dracus ludibrium tale commentus est. naves octo jam putres ac vetustate fatiscentes, multa oblinit pice; inditoque sulphure, & aliis ignium alimentis accensas, æstu pariter, ventoque secundo in hostes immittit. Eo spectaculo perculsi Hispani, præsertim ii, qui superioribus annis in Belgio militaverant; ictique recordatione ardentium in

Schal-

Schaldi flumine machinarum, ſepulcrales, molareſque ex imo lapides, miſeranda cum obvii cujuſque ſtrage eructantium; eamdem profecto imminere peſtem exclamant pavidi, atque Antuerpianos ignes. Tum vero, ut in re trepida ſubitaque, hæreticis procul effuſe ridentibus, vel gubernatorum injuſſu ancoras tolli cernentibus, aut ne morarentur, funes certatim abſcindi; nautarum miniſteria militum diſcurſibus impediri; juſſis juſſa turbari; diſſonis vocibus, monitis, minis, univerſa compleri. Nec defuit opportunitati Anglus. conſueta pernicitate, ac pelagi, ventorumque notitia, eximiaque jaculandi arte, diſſipatum hoſtem eo die, proximiſque vehementer afflixit. primariæ aliquot Hiſpanorum naves partim in terram ejectæ, partim expugnatæ, partim continenti verberatione ſolutis compagibus in omnium conſpectu demerſæ. Jamque Hiſpanum ſuper alia incommoda, telorum quoque & cibariorum penuria majorem in modum angebat; vel adulteratis, vel maligne præſtitis Olyſſipone mancipium fraude commeatibus. Hinc omnium animis a fiducia priore ad ſummum timorem, mæſtitiamque traductis; una ſpes reliqua videbatur, ſi Farneſius e vicinis locis opem ferret; junctæque in unum copiæ, præruptis adverſariorum ordinibus, in Angliam penetrarent. Sed neque Farneſius tantum egregiæ pubis, tot veteranorum cohortes, equitumque turmas, unicum vel tuendæ, vel perdomandæ Belgiæ firmamentum humilibus apertiſque, & plano ad ſubſidendum alveo navigiis furenti Oceano committere audebat; præſertim adverſo per eos dies vento, & Batavorum, Anglorumque claſſibus minaci fronte imminentibus; & Guzmanium, quo ne propius occurreret, carinatæ, præcelſæque naves, & inſidioſa paſſim brevia, ſyrteſque terrebant, vel hoſtilibus vel importuoſis utrimque litoribus. Ita dum Duces ambo inter conandi, cavendique conſilium non ſine cauſſa fluctuant; ecce tibi a meridie vehemens Africi vis tanto impetu Hiſpanica vela corripuit, ut Guzmanius iter, curſumque in Septentrionem dirigere ſit coactus. Neque a vexando agmine extremo abſtitit Dracus, quoad totum emenſa fretum Catholica claſſis in Germanicum Oceanum ad novas calamitates evaderet. Tum demum Angli magna, nec tamen incruenta victoria læti, cum ſpoliis opimis, nec modico captivorum numero domum ad expectatos triumphos, & optata præmia revertere. Hiſpanicæ naves cum pleræque fuſis armamentis, Oceani truculentiam minime ſuſtinerent; omiſſo magiſterio, aliæ fluctibus hauſtæ, aliæ ad ignotas inſulas in prædam barbarorum alliſæ. Roſtrata florentina celox una prænobilis in Scotiæ oram delata, cum haud procul a litore conſtitiſſet, ab Inſulano quodam miſſilibus appetita flammis, cum eæ flammæ in pulverem tormentarium incidiſſent, diſſilientibus cum horrendo fragore lateribus, ac tabulatis interiit. Guzmanius cum iis, quas ad ſe cogere potuit, longius ab terra Scotiæ promontoria circumvectus, perque Hibernicum

mare

mare in Hiſpaniæ conſpectum appulſus, atratos ad Regem præmiſit Nuntios, qui adverſum expeditionis eventum præſagientibus, ut fit, popularium animis explicaret. Ex tanto navium numero ſexaginta vix, eæque magna ex parte laceræ, mutilæque; e tanta hominum copia non plus decem millia ſupererant; iique ipſi vulneribus, fame, ſiti, vigiliis, & longa navigatione confecti. Ad infelicem eam turbam pro chriſtiana charitate refovendam ſolandamque Rex, quamquam ingenti ipſe dolore affectus, idoneos viros cum auri quinquaginta millibus in Gallæciam deſtinavit: & quoniam novi ſubinde Nuntii de claſſicorum exitio, afferebantur, magnoque in luctu univerſa erat Hiſpania, cum amicos hi, cognatos illi, cum lamentis, gemituque deſiderarent; Philippus ad evitandam nobilitatis vim, plebiſque conſternationem, publice complorari defunctos, veſtemque mutari, niſi ab arcta admodum propinquitate conjunctis, edicto prohibuit. Guzmanio Imperatori, non minus animi, quam corporis ægritudine laboranti, uti recta domum ad ſuos valetudinis curandæ cauſſa concederet, benigne permiſit. Hæc tanta, tamque inopinata Hiſpanorum clades hæreticis interim exultandi, Catholicis moderandi animos, rerumque humanarum imbecillitatem agnoſcendi; cunctis divina judicia cum timore, ac tremore penſandi, ſatis amplam in multos annos materiam præbuit; ac ſimul dilati ſapienter a Sixto ſubſidii, vel iniquis, & obtrectatoribus apertam confeſſionem expreſſit. Farneſius pereuntem regiam tanti nominis, & impendii claſſem (auri centies & quadragies in eam inſumta conſtabat) e ſpecula miſeratus opitulandi poteſtate præciſa; deque præſenti ſpe dejectus Angliæ primum, dein Hollandiæ, & Zelandiæ potiundæ, ad maritimæ rei damna, terreſtri bello aliqua ſaltem ex parte ſarcienda ſeſe convertit: receptamque per eos dies ingenti labore Bonnam, quam priore anno per inſidias captam a Schenchio Calviniano retulimus, & Archiepiſcopo Colonienſi reſtitutam Hiſpanico præſidio, ipſius Archiepiſcopi voluntate firmavit. Poſita deinde a Manſtfeldio Legato caſtra ad Vachtenducum, quo præter Batavorum cohortem deditii Germani a Bonna ſeſe receperant, fineſque Raremundæ Urbis, & omnem circa agrum latrociniis, ac rapinis infeſtum habebant; aliquot oppugnationibus multa cum ſtrage defatigati, ad extremum, exeunte Decembri, ſeſe Manſtfeldio permiſere. Batavi, ex conditione, cum ſingulis gladiis, & candido ſcipione dimiſſi. Germanorum arbitrium, qui deditionis pacta violaverant, abſenti Farneſio reſervatum eſt. Hæc ferme in Chriſtiana re variis Europæ locis, anno ſæculi hujus duodenonageſimo geſta. Solutus dein Bleſenſis in Gallia conventus haudquaquam ſatis digno operæ pretio; quippe vel metu, vel odio Henrici ab Guiſiana cæde paullatim dilapſis regni proceribus, ordinumque procuratoribus. Horum teſtimoniis, dum apud ſuos quiſque cives Regis perfidiam atque immanitatem accuſant, recrudeſcere, ſupraquam

credi

credi poſſint, hominum iræ; tantum facinus, nulla interpoſita mora, vindicandum, neque ultra ferendam importuniſſimi tyranni malitiam, audaciamque, frementium. Neque interea Henriciani, (quos alii regios, alii politicos, quidam etiam atheos vocitabant) quamquam haud exiguo numero, tamen aut ſociare conſilia viresque, aut furenti multitudini ac magiſtratibus, arciumque præfectis opponere ſemet audebant: tanta, tamque ſubita rerum converſione, perterriti ſilentio, ac ſimulatione tranſitum tempeſtatis opperiebantur. atque iiſdem fere diebus ſuper eo ſtatu conſulti Sorboniani Theologi; Senatum, populumque peracto ſacramento ſolutos in Regem, & parricidam, & Numinis æterni contemtorem, verbo pariter, ac ſcriptis incenderant. Reliquum videbatur eſſe, uti Sorbonianam ſententiam Pontifex Maximus Apoſtolica auctoritate, ac judicio comprobaret. Is ubi poſt aliquot monita obduratum nihilominus in contumacia, ac retinentem in cuſtodia Sacerdotes, inteſtabilem, & ſacrilegum, & hoſtem Eccleſiæ declaraſſe viſus; tum vero velut abruptis imperii frenis, depoſitaque omni formidine, Pariſienſes detracta e publico, privatoque Regis inſignia lacerant: inque abſentem certatim probra, & contumelias jaciunt: ad vindicandam Lotharingiorum indigniſſimam necem, itemque violatam infando perjurio publicam comitiorum fidem, ac libertatem, tollendoſque regiæ ſuperbiæ, libidinis, & avaritiæ miniſtros, ſeſe mutuis adhortationibus incitant. Mayneum firmo cum exercitu adventantem, utpote vacuo Valeſiorum ſolio Interregem ſumma cum poteſtate renunciant. Denique acrioribus in dies iracundiæ ſtimulis veluti uno contactu, Gallia uſque adeo exarſit; uti e tam multis, ac tanta celebritate provinciis, tria dumtaxat oppida Turrones, Baugentia, Bleſæ in Regis fide permanſerint. Ille, quo mitigaret animos, blando rurſum edicto comitia, unde abierant revocare conatus, cum acerba, nec ſine irriſu reſponſa tuliſſet; aperte monſtravit quantopere tum a ceteris mortalibus, tum ab iis præſertim, qui in alios imperium exercent, veritas & conſtantia dictorum colenda; quamque ſit damnum exiſtimationis irreparabile. Ab ea fruſtratione in rabiem actus fœderatos omnes, quique eorum ductum & conſilia ſequerentur, ſeditioſos ac perduelles, & Regiæ Majeſtatis violatæ manifeſtos publice declaravit: ſibique magis metuens a Bleſiis haud ita munito loco Turronium, validam Urbem cum prætoriano milite, & primariis aliquot e nobilitate ſeſe recepit; eodemque ad voluntates Civium demerendas ab Lutetia Curiam, & judicia tranſtulit. Ibi a Mayneo propemodum oppreſſus, cum accita ab Helvetiis, aliiſque nationibus auxilia morarentur, incertus conſilii, variis curarum æſtibus angebatur. Hæc omnia dudum veluti e ſpecula Navarræus obſervans, inque omnem eventum haud abſurde ratus Henrici amicitiam ſibi ad Regni ſucceſſionem magni fore momenti, ſuam illi non ſemel tam arctis in rebus operam, ſtudiumque

diumque detulerat. Quæ Rex novæ infamiæ metu cum aliquandiu respuisset, ad extremum ab aliis fere desertus accepit: ac Navarræo, captis per eos ipsos dies aliquot Pictonum oppidis, prospere admodum agenti, sese permisit. Jamque fœderati aliquot populi, vel ingenii mobilitate, vel tædio confecti, vel desiderio qualiscunque Regis nutare in officio, & in communi caussa cœperant. Silvanectum in primis, quod abest Lutetia non plus triginta millia passuum, instigante regia factione ab societate descivit. Eam Urbem Aumalius tumultuaria manu cum recuperare tentasset, superveniente cum veteranis cohortibus insigni Hugonotarum Duce Nonio, haud sine gravi damno repellitur: & Mayneus per idipsum tempus, exercitu ob inopiam stipendiorum valde imminuto, ab Turonibus Lutetiam regressus, ne caput rerum desereret, politicis præsertim in omnem proditionis occasionem intentis; intra mænia sese continebat; Parisienses coram, & socios per literas, nuntiosque subinde confirmans. Interea Reges ambo junctis copiis, ac fœdere propalam, cito ante omnia statuere Lutetiam ipsam Urbem ad terrorem aliarum ferro ac fame subigere, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta, plurimumque imbellis, & inconditæ multitudinis, quippe cum incolarum quadringenta fere millia censerentur; iique vel deliciis ob magnitudinem divitiarum, vel studiorum otio, vel mercaturæ, aut opificiis, diurnoque labori ob inopiam dediti. Simul regiorum opera, tumultus ac seditio sperabatur. Ergo castris non longe ab Urbe locatis, atque ad subvectiones arcendas circummisso equitatu, & stationibus ad opportuna loca dispositis, Parisienses brevi ad rerum omnium penuriam redacti, vix paucos dies obsidionem toleraturi videbantur, & seditiosæ passim audiebantur voces pacis bona, Regisque fidem efflagitantium. Neque Mayneo ad comprimendos motus ejusmodi sat virium suppetebat. Inde Guisianis primo pavor, tum desperatio; & Valesio capta Pontisara, & Ponte Sancti Clodaldi occupato, propediem utique patuissent portæ, nisi certa jam victoria læto, & quo maxime genere pœnæ rebelles afficeret agitanti, atrox & novus ab omni memoria casus intervenisset. Gregarius quidam erat Parisiis e familia Dominicana Sacerdos, natione Sequanus (Jacobum Clementem appellabant) annum agens ætatis tertium circiter, & vigesimum, ingenio perquam apertus, ac fatuitati, quam solertiæ propior. Is periniquo ferens animo Gallicanam avitæ Religionis arcem, & liberalium artium officinam ab eo, qui se Christianissimum ferret, diris adeo modis tam acerbe vexari, divinarum legum interpretes quosdam semel atque iterum interrogavit, jure ne posset barbara feritate perfidiaque Tyrannus pariter, & anathema de medio tolli. Cum illi posse nec sine magno quidem merito censuissent; imminente jam Urbis deditione tam gloriosam (uti rebatur ipse) palmam publicæ salutis amantibus omnino præripere statuit; neque plane celabat

con-

consilium; in circulis, & colloquiis Valesii sævitiam, atque improbitatem sine fine detestans; brevi se universo hominum generi sermonem in multos annos daturum, cunctis irridentibus, affirmabat. Quod fando persuadere nemini valuit, hoc postmodum ipsa re, factisque præstitit. Sacrificiis, precibus, lacrimis, aliisque piamentis (quo spiritu incertum) octo ipsos dies cæleste Numen sibi propitiare perrexit. Dehinc secura mente, vultuque prorsus intrepido pridie Kal. Augusti fratribus etiam atque etiam valere jussis, in castra attrito vestitu, despicabili vultu contendit. Sciscitanti vigili arcana se mandata cum literis ad Regem habere, ipsoque convento sibi opus esse respondit. Ab Guelio deinde Regis procuratore, cum is nihil tali tempore spernendum existimaret, postridie mane ad Henricum adhuc seminudum in penetralia est introductus: dehinc remotis confestim arbitris, mandata quædam venerabundus exponit, ac simul ab amicis reddit epistolas. tum repente succedens venenato (uti ferunt) cultro, quem manica tectum gerebat, incautius legenti suffodit inguina. Rex vociferans eodem extracto ferro percussorem in capite vulnerat; advolant stipatores, perque iram non expectata quæstione Clementem repetitis ictibus contrucidant renidenti similem, atque uti semet ad novissima quæque jam ante paraverat, nequaquam sibi caro tantum stetisse facinus in extremo spiritu gloriantem. Vulnus deinde inspiciunt medici: neque letale initio visum; & Henricus ad sedandos tumultus paullo post exercitui sese ostendit, eumque diem per jocos, lususque consumsit. Ingruente demum nocte intumuit plaga, perforatumque intestinum certis experimentis apparuit. Superveniente dein febre vehementi, cum deficerent vires, accitis ad se proceribus mandata, ut fertur, in suæ necis affines ultione, Henricum Borbonium Navarræum, Regni heredem disertis verbis publice declaravit. Sub hæc ingenti suorum dolore cum expirasset, militari funere, quod ab hoste Dionysiana tum Sepulcra tenerentur, ad oppidum Piccardiæ Compendium exigua pompa translatus; ibidemque tuto interim loco depositus est. Jacobo Clementi, quod sponte vitam in caussa Catholica profudisset, cælestes honores cum inclyto Martyris Christi vocabulo a Parisiensibus decreti. quæ tamen sanctio, utpote nulla Pontificum auctoritate fulta, postmodum evanuit. Interfecto Valesio Principes Regii generis quotquot in Castris erant, collatis inter se capitibus, ne per ipsorum dissensionem externo cuipiam ad imperium patesceret aditus, Navarræum jure sanguinis legitimum Galliæ universæ Regem sine mora consalutarunt; ea tamen lege, uti Apostolicæ Religionis professionem, ac tutelam in sese jurejurando reciperet. quod ille recepit, modo sibi per idoneum doctorem errores eriperentur, jam inde ab infantia per domesticos magistros insiti. Principum exemplum sequuta confestim reliqua multitudo, paucis tantum e nobilitate exceptis; quo vel privatas ob caussas, vel hæresis nomine,

ab Navarræo alieni, ac velut exauctorati morte Catholici Regis, domos quisque suas diversi abiere. A fœderatis contra (quamquam admodum sero) Carolus Borbonius Cardinalis Navarræi patruus cum adhuc in custodia teneretur, publice item Rex appellatus. Ita in duas factiones divisis Gallorum studiis, ab utraque Orator petendæ confirmationis ad Pontificem Maximum est destinatus. Ab Navarræis Franciscus Luxemburgius, idem, qui Pontificatus initio venerationis & gratulationis caussa, Romam a Valesio venerat. Ab adversariis Jacobus Dionius e Hierosolymitana militia vir, & genere & religione conspicuus. Ac Luxemburgius quidem licet Navarræum, & ad conversionem ex animo pronum, & ad accipiendas ab Apostolica Sede quaslibet conditiones paratum affirmaret; tamen ut in re admodum ancipiti, & perobscura, non modo in Senatum publice, sed ne ad Principis quidem aures privatim, nisi lente, perque summam cautionem, admissus est. Subdolam, & ambitiosam, & in tempus fictam Regis pœnitentiam vulgo interpretabantur. Dionius cum favore acceptus non modo fidem adversæ parti abrogare conatus est; sed etiam denunciando, instandoque pervicit, uti ad sustentandas adversus hæreticorum insidias & machinamenta, antiquam religionem, auctoritatemque Romani Pontificis, revocato Mauroceno Cardinale, quod ob arctam cum Henrico Rege amicitiam, Lotharingio sanguini suspectior, atque invisior esset; novus e Principum numero Legatus in Galliam primo quoque tempore mitteretur. Missus a Sixti latere cum Pontificum, ac Teologorum delecta manu Henricus Cajetanus Romanæ Ecclesiæ Camerarius, vir nobilitate, doctrina, moribus, opibusque præcellens. Paullo antequam hæc in Gallicana caussa gererentur, Anglum propudium Elisabetha Hispanorum anni prioris accensa conatibus, itemque secundis præter spem suis rebus vehementer inflata, ingentem classem adornaverat, quindecim fere millibus bellatorum impositis (queis Franciscus Dracus & Eduardus Horrejus pari cum imperio præerant) ad Philippi metalla in ultimis terris (quod frustra jam sæpe tentaverat) invadenda, nec non ad ampla, & frugifera cocci, glastique commercia ab Hispanico litore in Angliam transferenda. Perniciem hanc Deus rerum humanarum per vices plerumque moderator æquissimus, ab Hispanorum fortunis per hunc maxime modum avertit. Antonius erat æmulus Philippi Regis, commisso temere cum Hispanis prælio, dudum e Lusitania profugus, cui quod magnum popularibus desiderium sui reliquisse diceretur, tutam, honoratamque in Anglia Sedem Elisabetha præbuerat; Philippo, ceteras inter minas armatum ab se quoties expediret, in patriam rediturum ostentans. Is, ut sunt exulum spes ad suadenda quæ cupiunt nimio plus facundæ, immensis pollicitationibus Reginam, & Consiliarios denique induxit, uti priusquam Hispanus a maritima prioris anni sese reficeret clade, paratas in

Pe-

Peruana litora vires, duce, vel comite sese in Lusitaniam flecterent. Igitur a Plemutho profecta classis, Oceano transmisso, ad Corunnias circa Maji mensis initium appulit. Facta ibi descensio: & diebus aliquot in oppugnanda Urbe nequidquam absumtis, Piscaria suburbio dumtaxat incenso, ad Penicum oræ Lusitaniæ ab Olyssipone triginta quatuor passuum millia processere vicum, & natura loci, & opere male munitum. Ibi expositis per otium duodecim armatorum millibus, Antonio urgente, Horrejus ad Turrim veterem, inde ad arcem Sancti Sebastiani, ac denique ad Olyssiponis Suburbium, cui a Bono prospectu nomen, tuto loco, & ad excursiones opportuno, castra communiit. Regebat ea tempestate Lusitaniam Albertus Austriacus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus idem, & Avunculi Regis Philippi Vicarius. Is ad primos de Anglicano apparatu rumores accitis ex interiore Hispania novis peditum, equitumque auxiliis, queis Petrus Fontejus e Ducis Albani disciplina præerat bellator eximius, adversum occultas populi coitiones vigiliis per silentium distributis, convectisque intra mœnia ex omni circum agro cibariis; ut primum Anglos adesse nunciatum est, Fontejo rem acriter administrante præsidia per muros, stationes, excubiasque ad idonea loca disponit. ac trepidantes nihilominus fugamque cum uxoribus, ac liberis meditantes Civium plerosque exemplo & auctoritate cohibuit. Crebræ inde eruptiones, & minuta prælia cum Anglis fieri cœpta, superiore semper Hispano. Cumque nec in Urbe tumultus, neque aliunde occulta, vel aperta ab Lusitanis ulla transitio fieret; agrestes dumtaxat quidam inopes, inermesque ad Antonium officii magis, quam belli caussa ventitarent; anxius irrito incepto Horrejus, & alimentorum penuria, & quotidiana cæde suorum exterritus, incassum obnitente Antonio, vasa collegit; ac protinus ad Cascale Castellum in ipsis Tagi faucibus, qua in statione classem Dracus habebat, simillima fugæ profectione sese proripuit. quem interea classici locum super infanda stupra, ac rapinas, & incendia, templis etiam, atque aris eversis, dejectis, perculcatisque Christi, & Sanctorum imaginibus, omni barbaræ impietatis exemplo fœdaverant; satis aperto documento quantum Calvinianæ turbæ adventus calamitatis importaturus Hispaniæ fuerit universæ, ni diram luem ab Catholicorum corporibus pariter animisque Divina clementia repulisset. Inde sublatis raptim ancoris abeuntes Anglos, & infaustæ expeditionis auctorem Antonium sine fine execrantes, Martinus Padilla Regius præfectus, ab tergo triremibus septemdecim insequutus, antequam naves omnes in altum evaderent, unam depressit, duas cepit, totidem missili igne cremavit. Hic maxime fuit exitus Anglicani tumultus. Habitæ supplicationes, & Albertus, Fontejusque servati haud dubie Regni, & custodiæ a pestilenti contagione totius, uti dicebamus, Hispaniæ, omnium consensu triumphalia meruere. Neque lætiores tum in Germania

 suc-

successus habuit, quamvis alia via grassaretur, hæreticorum audacia. Summo studio dudum enitebantur uti sine ulla fidei professione Ecclesiastici reditus, & opima Sacerdotia Protestantibus cum alibi, tum Aquisgrani præsertim, & Argentinæ paterent: essetque omnibus omnino liberum, solutumque divini cultus, & Religionis arbitrium. Iis aliisque de rebus ejusmodi per occasiones jam ante sæpius agitatis, cum sexdecim postremo ad Rodulphum Legatos misissent, impudentibus postulatis leni tergiversatione, uti ne gentem, cujus ope multas res agebat, exasperaret, obstitit Cæsar: perque frustrationem, & varias ambages, & incerta responsa dilatos, ab se dimisit. Genevam quoque clarissimam, olim Sabaudiæ ditionis Urbem, ac postremo hæretici veneni officinam, & infame receptaculum pessimi cujusque transfugæ ac desertoris, arcta rursum cingere obsidione, idipsum frustra jam ante conatus, parabat Carolus Emmanuel. Opem in id imploranti Socer Philippus immenso pressus ære alieno, & propriis insuper implicitus bellis, nequaquam ad vota responderat. Sixtus dumtaxat Pontifex quamquam apprime cautus sacri thesauri custos, tamen, ut primum ea Urbs capta foret, ad res componendas, imperiumque Carolo firmandum, auri millia centum benigne promiserat; ac nihilominus egregia pietate juvenis marte suo rem aggressus, jam ad commeatus intercipiendos in lacu Lemano biremes instruxerat, variis locis Castella excitarat, ac denique damnis, cladibusque Genevates ad consilia deditionis propemodum adegerat; cum repente hinc fremitu, minisque Galli Regis, cujus erat in fide Civitas, inde Helvetiorum hæreticæ factionis conspiratione armisque ab inceptis prohibitus est. Eodem anno Cardinales Romani duo prænobiles diem obiere, Alexander Farnesius, & Prosper Sanctacrucius. Huic quantum politiores literæ, neque vulgaris rerum scientia, & difficillimis præsertim rei Christianæ temporibus exhausti in Galliæ Regno labores addiderant famæ; tantum asperitas ingenii, & rei familiaris multo infra Senatorium censum angustiæ, de vitæ splendore, ac nominis celebritate detraxerant. Farnesio super claritudinem generis, & amplissimas clientelas, Regumque maximorum affinitates, congestamque a majoribus opulentiam, corporis quoque decora proceritas, orisque majestas, & morum ac literarum elegantia, & comitas inerat, divitiisque magnificentia par. Ædificia sacra æque ac profana, domi, forisque regium in modum extruxit, religiosa cœnobia, orbos, orbasque, & complures, tum e nobilitate, tum ex infima plebe familias, & statis, & extraordinariis largitionibus munifice sustentavit. benigne fovit semper ingenia, neque præstantes modo in liberali qualibet arte viros apud se in honore habuit; sed etiam eximia indole adolescentes inopia pressos, in celeberrimis disciplinarum gymnasiis aluit. Gravissimis præterea largitionibus perhonorifice functus, multos ex amicorum numero ad Senatorium gradum,

ali-

aliquot etiam prævalida suffragatione summum ad fastigium extulit; quos tamen (adeo fallaces, & improvidæ sunt cogitationes hominum) infensos, infestosque ut plurimum expertus est. Magno ipse animo insectationes & maledicta contemnens, & nullas unquam ultus inimicorum injurias. Obiit prope septuagenarius, longiore (quæ totius erat habitudo corporis) utique usurus ævo, ni super acerbos articulorum dolores, & ex ancipiti rerum statu, assidui curarum aculei, congruæ & speratæ vitæ spatia præcidissent. Luxere defunctum præter ingentem familiarium turbam, Clerus ac populus universus. Eidemque non Romæ tantum, sed etiam variis promiscue per Italiam locis exquisito ritu ac cærimonia parentatum est.

Libri Secundi Finis.

JOANNIS PETRI MAFFEJI

E SOCIETATE JESU

HISTORIARUM AB EXCESSU

GREGORII XIII.

PONT. MAX.

LIBER TERTIUS.

SIxtum interea in omnes Reipublicæ partes intentum Gallicani porro tumultus angebant, horrentem haud immerito Christiana Religio tam sævis dudum agitata procellis quo tandem evaderet. Quippe Borbonius, quo uno Calviniani præcipue nitebantur, quamquam ab Henrici Tertii cæde imminuto, uti dicebamus, exercitu; tamen haudquaquam animo fractus, & Principum Regii sanguinis concordi cinctus corona ad fœderatorum distrahendas vires atque consilia copias ita diviserat, uti partem unam in Piccardiæ fines, alteram in Campaniam cum delectis ducibus mitteret. Cum tertia ipse Diepam oram Normanicæ petiit, quo ex Anglia unde auxilia subinde expectabat, facilis tutusque trajectus est. Appropinquanti portæ illico patuere; perque summam gratulationem a præfecto, & oppidanis acceptus, paullo post in eodem tractu Cænum Urbem pari Civium voluntate, mox Neocastrum, sedem olim regiam, territis incolis in deditionem recepit. Inde Rhotomagum quoque caput ejus provinciæ tentare ausus, eruptione repentina trecentos e suis amisit; ac simul Mayneum accito variis e locis exercitu infestum adventare cognovit. Quocirca, metu, ne si pertinacius ibidem hæsisset, ancipiti mox prælio, & ab tergo, & a fronte urgeretur; populatus agros, retro

Die-

Diepam sese recepit. neque a vestigiis Mayneus abscessit. cumque minutis aliquot præliis, una etiam ad Arcus (id loci nomen) non levi pugna Navarræus superior extitisset; conversus ad obsidionem Mayneus præpropera gratulatione gloriari cœpit : literisque magnificis vanæ spei Parisienses implere, quasi communem hostem in eas angustias compulisset, uti vel Oceani sævitati, vel victoris clementiæ sese permittere cogeretur. At ille accitis undique suorum auxiliis, & insuper ex Anglia quatuor millibus peditum confirmatus, in omnem bene gerundæ rei occasionem excubabat animo. Itaque socordia obsidentium satis comperta, & simul nactus opportunitatem, quod Mayneus cum parte copiarum ad recipiendam proditione Ferentam in Piccardos abscesserat; eductas repente copias agmine silenti Parisios rapit : & extimas munitiones ab incondita turba male custoditas improviso transgressus, opulenta suburbia pene per otium exhausit. majora tormenta circiter quatuordecim, magnum captivorum numerum abduxit, e quibus certo redemtionis pretio non exiguam pecuniæ summam (qua vel maxime egebat) nulla sua jactura conflavit. Fama est, cum refugientibus intra mœnia defensoribus potuisse pariter Borbonium irrumpere; sed vel metu ne ditatus rapina miles ab signis abscederet; vel caritate nobilissimæ Urbis, quam sibi pro certo desponderat, ab ea mente abstitisse. Perculit ea res graviter fœderatorum animos, & paullo post cognita Borbonii profectione, Mayneus primum, deinde Nemurcii Dux ingressi Lutetiam, seram perditis prope rebus opem tulere, tarditatem, & ignaviam probris, convitiisque increpante populo. Sixtus ea clade e Maynei literis cognita, vehementer indoluit; ac Parisienses multa benevolentiæ significatione, peramplisque promissis paterne solatus est. Accessit ad levandum ex parte mœrorem nuntiata Germanorum strages, quos ab assertoribus confessionis Augustanæ suppetias Borbonio transmissos, Carolus Lotharingiæ Dux e primoribus Janvillanæ Societatis obviam expedito cum agmine factus, ipso Galliarum aditu late ceciderat. At Borbonius e Parisiis profectus, affluentibus ad eum undequaque tum prædæ spe, tum bellicæ virtutis admiratione, militibus maxime veteranis, quos ille mira comitate ac benignitate venientes excipere, ac pro meritis deinceps ornare consueverat; intra paucos dies, primo Stampas; dein Janvillanam infausti fœderis officinam; postremo Vindocinium, insignia regionis illius oppida, partim vi, partim voluntate in potestatem redegit. Matura jam ætate, & vivido ingenio Borbonius erat; idemque vel usu rerum, vel indolis altitudine, quantæcumque fortunæ capax; quippe qui orbo Henrico Tertio sanguine proximus Gallicani Imperii majestatem jamdudum erat complexus; & eidem Henrico sublato (ut supra commemoratum est) successor a proceribus, salva Religione Catholica, renunciatus, regia confestim munera sine trepidatione obire instituerat: literisque de com-

muni

muni re ad omnes Ordines datis, comitia ad certum tempus Turones indixerat. quo, præter Curiam Parisiis illuc ab Henrico translatam, magnus quoque nobilitatis numerus, & Venetus Orator, & Cardinales Vindocinius Condei frater, & Lenoncurtius egregio cum Sacerdotum comitatu convenerant; Gondio tantum Cardinali Parisiensium Episcopo, cum temporis caussa neutrum sese gereret, extra Lutetiam in prædio suo delitescente. Interim dimissis quoquoversum Legatis, Borbonius idem cum omnibus nominis Christiani Principibus, ac Dynastis, uno dumtaxat Hispano vitato, societatem, & amicitiam vel revocare, vel inire haud sane frustra tentaverat. Siquidem ex iis plerique vel communionis caussa, vel Hispaniensium incrementorum invidia, libenti animo sese ad eum aggregarunt. Venetorum in primis extitit insignis in eum propensio, adversis de illo rumoribus contrahere vultum; secundis gestire lætitia; denique certantibus votis ita sese in eumdem effundere, ut quasi in Romani Pontificis potestate ornamenti futurum esse providerent, non expectata reconciliatione, Christianissimum Galliæ Regem publice privatimque consalutaverint. Hisce omnium studiis, judiciisque, & recentium deinceps auxiliorum expectatione subnixus, Turones, dimisso in præsidia exercitu, splendida amicorum prosequente manu, se contulit. obviam itum a cunctis Ordinibus miro plausu ac favore civium, revisere aventium tot jam rebus gestis clarum, tantoque magnatum consensu declaratum Galliæ moderatorem ac Principem. Ibi dum de constabilienda religione, tollendis dissensionibus, revocando agrorum, & Urbium cultu, ordinanda Republica agere instituit; repente fit certior, destinatum esse a Pontifice Romano Legatum in Galliam. Salutaris primo res visa: subiitque spes a communi totius generis parente pro caritate Christiana mitti præstantem aliquem, & pietate, & prudentia virum, qui ad sananda tot Provinciarum vulnera, sedanda bella civilia, & restituendam veterem disciplinam, sese pristinos agnoscentem errores, probatum a nobilitate Regem, pœnitentiæ nomine in gratiam cum Ecclesia Christi reduceret. Hac ille mente opperiebatur, quam mox a quibus oportebat, super ea legatione secum, aut per literas, aut per nuntios ageretur. Ast ubi Cardinalem ex ea familia, quæ haud ita pridem ad Hispaniensem ab Gallicana factione se transtulisset, ad fulciendas fœderatorum vires, cogenda Maynei auspiciis novo creando Regi comitia, Parisios recta contendere, & Civitates Lotharingiis addictas, ex itinere concionabundum in partibus confirmare cognovit; enimvero tum exarsit iracundia, neque prohibuit quominus progredienti pluribus locis insidiæ tenderentur. Ea re comperta Cajetanus, pavidam & inermem Clericorum, & aulicorum turbam, non plus quadraginta equitum præsidio protegente subinde morari; divertenda quærere; quic-

quid

quid increpuiſſet, timere coactus eſt. quoad longo Lotharingii Ducis equitatu, peditatuque Lutetiam tutus, incolumiſque perduceretur. Ibi ſummo concurſu, gaudioque Civitatis exceptus, admirandam ſpeciem Apoſtolicæ majeſtatis populo exhibuit, longa deſuetudine prope jam ejuſmodi legationum oblito: & ſimul infimis Maynei precibus exoratus, cœptantes ob delata ſtipendia perincommodam ſeditionem Helvetios e ſyngraphis Pontificis præſenti pecunia mitigavit. Auri fuere quinquaginta millia dimidium ſummæ, quam Roma proficiſcens a Pontifice in uſum legationis acceperat. Conjecti erant in hanc Gallicæ rei diſceptationem omnium gentium oculi, & perſuaſum erat pleriſque, uti ſupra dictum eſt, Borbonium in hæreſim jam ante relapſum, ne tum quidem fide bona agere: ſed quod per leges, ni Catholica dogmata jurejurando profiteretur, ſceptra diutius retinere, & rite inaugurari nequiret; iccirco ſimulata denuo pœnitentia captare Summi Pontificis gratiam, ac tempori deſervire. Id ipſum Gallicano vulgo erat infixum, quo facilius Cajetano fuit multitudinem in ſuſcepto Borbonii repellendi conſilio continere; adjuvantibus præſertim incredibili quadam alacritate Collegii Sorboniani Theologis, atque concionatoribus, qui conceptam olim in Henricum Tertium iram ac rabiem ejus cæde maxime exſatiati, in ſucceſſorem pariter dies noctesque fundebant. Impeditior longe erat ratio Regis tali tempore ſubrogandi, cum ex optimatibus multo maxima pars, uti dicebamus, ad Borbonium traheret res: & nulla convocandorum Ordinum facultas non Cajetano ſolum externo homini, ſed ne Mayneo quidam ipſi omnia verſanti, molientique ſuppeteret. Siquidem, uti modo retulimus, & e Clero inſignes viri, & e Curiis non pauci Senatores ad Regem acclamatum ultro ſeſe contulerant; & Mayneum nulla publica auctoritate, paucorum dumtaxat, emtorumque clientum factione, ad ſummum Imperium erexerant, licet temporis cauſſa tolerantibus magis, quam approbantibus Sociis, & pompa lictorum, ſtipatorumque, & reliquo principali apparatu, & præſcriptionibus literarum, edictorumque pro legitimo rectore gereret ſeſe; & non modo contranitentibus, verum etiam otioſis acerbe minitaretur; & omnium generum mortales in ſua verba, perque fas, perque nefas adigeret. Una ſupereſſe videbatur, eaque maxime compendiaria concilii habendi, & novi Regis eligendi via; ſi Mayneus collatis quamprimum cum hoſte ſignis, præclaram ex eo victoriam reportaſſet: quippe tum acciſis Borbonii viribus nobilitatem ad officium redituram, & interregis aucta potentia cunctos imperata facturos; & excluſa Regia ſtirpe, quod hæretico fovendo ſeſe vinculis anathematis illigaſſet, conſentientibus reliquorum animis, facile diadema ad ipſiuſmet Maynei caput eſſe venturum. Hiſce conſiliis cum

H una

una ſemper in ſpeciem protenderetur avita Religio, Mayneus Pontificem Maximum ad hoſtes Eccleſiæ declarandos Borbonii ſectatores, ſubmittendamque ſibi pecuniam; Hiſpaniæ Regem non ad pecuniæ tantum, ſed etiam ad copiarum e Belgio firma ſubſidia, per epiſtolas, perque procuratores, monitis, & obteſtationibus fatigare non deſiſtebat. neque adhibita quantavis arcani diligentia fallebat Borbonium; & ex ipſo Maynei contubernio multis multa indicantibus, & ipſum per idoneos homines cuncta ſagaciter explorantem. Ergo ratus prævenienda hoſtium conſilia, & frangendos, uti ajebat, hominis inquilini ſpiritus, per fraudem & ambitionem ad Imperium injuſtum elati; relictis in præſentia Turonibus, & exercitu feſtine revocato, aliquot Caſtella eidem Urbi infeſta prope ſine certamine occupavit: ac rurſus ad Pariſiorum obſidionem omnes cogitationes intendit aliquanto difficiliorem, quod Mayneus per eos ipſos dies Pontiſaram expugnaverat. Paullo antequam hæc in Gallia gererentur; Farneſius Dux montes Gertrudis in Belgio, munitiſſimam hæreticorum Urbem, recepit ingenti pecunia; & ejuſdem Farneſii auſpiciis Marchio Varembonius arcem egregiam Bliembejam, ex qua Schenchiani prædones ſubitis incurſionibus Gueldriam devaſtabant, vi, metuque ad deditionem adegit. Schenchius ipſe laborantibus inopia Berchenſibus Colonienſis ditionis, quos Farneſiani dudum obſidebant, ſubvectos adverſo Rheno, commeatus per ſummum ſilentium importavit: idem lectas Philippi Regis copias per Veſtphalium agrum Friſiam petentes, itinerum compendiis repente aſſequutus, magna cum cæde fugavit; ac pecuniæ vim, quæ in ſtipendia militum vehebatur, abripuit: elatus dein felicitate, cum Noviomagum prævalidam Urbem, demiſſa per tenebras claſſe tentaſſet; occupatis jam nonnullis ædibus, concurſu oppidanorum, haud levi cum ſtrage repulſus ad naves, interque moliendum prolapſus in flumen, gurgitibus hauſtus eſt; ingenti Noviomagenſium gratulatione, quippe qui aliquoties jam inſidiis appetiti, vix atque ægre impias hæretici prædonis manus effugerant. Ab Carolo quoque Mansfeldio populati perduellium agri: Neclum caſtrum Inſulæ Bomelerverti, Moſam inter, & Vahalim, & loco opportuno, & præclare munitum; itemque Brachelium, & Oſſemium partim armis, partim conditionibus brevi recepta. Perque hunc modum in Belgica, & Circumrhenana provincia hoſtium Eccleſiæ conatibus obviam itum eſt. Circa idem tempus in Germania ſuperiore Jacobus Marchio Badenſis, Helvetiæ, Alſatiæque conterminus, ampla ditione, viris armiſque præpollens, auctore Joanne Piſtorio Theologo, qui nuper e cœno Lutherianæ impuritatis emerſerat, Piſtorium ipſum ultro depoſcentem cum Smidellinio, & Herembrandio Hæreſiarchis, aliiſque Satanæ adminiſtris, in magna Prin-

cipum

cipum corona commisit; perque acrem totius tridui concertationem, agnitis nequissimæ sectæ fallaciis, ad Ecclesiæ Romanæ veritatem ac lucem, seque popularesque suos magno pietatis ardore convertit; ac septuaginta pseudoprophetas ex iisdem finibus palam ejecit, septuagesimo ipso anno, quam dira lues in Septentrionali plaga male custoditas Christi caulas invaserat. Non mediocrem is nuntius Pontifici Maximo, & bonis omnibus attulit voluptatem; totaque de re Apostolici apud Helvetios Nuntii in Senatu recitatæ sunt literæ. Sed brevis ea lætitia fuit; siquidem paucos intra menses Jacobus a germanis fratribus in hæretica pravitate obstinatis veneno interceptus est. Neque in Germania tantum, verum etiam in aliis orbis terræ partibus, hoc eodem anno bene gesta Christiana res est. ingens mortalium vis a Dæmonum cultu, damnatis opinionibus, ritibusque, aut e nefario schismate ad rectam fidem, atque ad Ecclesiæ Catholicæ communionem, regulamque traducta. Insequens annus Christianæ rei calamitosior; legatio, & pecunia fœderatis a Pontifice missa rumoribus in immensum auctis; & quod in eamdem caussam aperte descendisse Rex Hispaniæ ferebatur; Germanos proceres denuo accenderat, uti ad subveniendum Borbonio novas equitum peditumque copias intenta conquisitione decernerent. Et Angla Pseudoregina, præterquamquod eidem, & consiliis, & opibus aderat; Germanos pariter, & Belgas, Turcamque ipsum suis quemque stimulis in Catholicum nomen concire non desistebat. Earum rerum quamvis incerta fama permotus Cajetanus Legatus Mayneum urgere summa ope instituit, uti priusquam ea auxilia convenirent, aucto ipso quoad fieri posset exercitu, cum hoste certaret. Millia circiter octo Gallicæ juventutis magna ex parte rudis, & collectitiæ, Helvetiorum duo circiter, sub signis habebat; atratorum equitum tria millia, reliquias novissimæ Lotharingianæ cladis nova mercede conductas. Germanicum est genus cum pluribus minusculis tormentis instructum, infectum hæresi, rapinæ deditum, & Helvetiorum in morem usque adeo venale, uti contrariis plerumque Castris eadem natio militet. Hasce copias militi veterano objicere Mayneus, & universi certaminis aleam subire non audebat. a Farnesio deinde missos equites mille, & octingentos accepit, Egmundano Duce; in quibus erant Hispanorum, & Eburonum turmæ veteranæ admodum quinque; ceteri Belgæ nobiles cataphracti, vixdum posito militiæ rudimento. Sub hanc virium accessionem veritus ne si pugnam ultra differret, detrectare periculum, & continuandi imperii caussa bellum ducere videretur; hortante insuper, & instigante Apostolico Legato, ad hostem ducit, secundo rerum cursu Druidas obsidentem. Neque Borbonius occurrere venienti cunctatus est, avidus & ipse

cer-

certaminis; quamquam equitatu inferior, egregio tamen pediti fidens. Ad Ibicum vicum constitere exercitus, ita dispositi, ut mediam aciem Imperator uterque, cornua, & subsidia, duces reliqui tuerentur. Signo dein pugnæ proposito Mayneus cum equitibus levis armaturæ in hostem sese tam acriter intulit; uti primum agminis frontem non levi cum strage penetraret. Ibi conferta circa delectum ab se Regem nobilitas obstitit, & atrox utrimque cædes fieri cœpta. Egmundanus inter alios cecidit pugnam fortiter ciens. Ex altera parte atrati equites, cum in Vasconas pedites impetum dedissent, nimbo plumbeæ grandinis confestim exterriti, fœde terga verterunt. neque cataphractis, qui agmen claudebant, vel ad ordines densandos, vel ad cohibendam infesta cuspide fugientium turbam, consilium, animusque suppetiit. ita dissipatis ordinibus, nudata peditum latera, & Galli quidem nullo flagitii metu per agros hac illacque dilapsi. Helvetii (quod erant Mayneani robur) positis illico armis victori sese dederunt. neque modo in fidem clementer accepti, sed etiam viritim donati pecunia; domum ad conciliandam Borbonio gentem universam benigne dimissi. Mayneus & Ducis, & militis nequicquam officio functus, ex hostium jaculis equi celeritate sese præripuit; flumenque transgressus, ponte soluto remorandi hostis caussa, ad Sancti Dionysii, quod oppidum abest a Lutetia duobus passuum millibus, cum exiguo comitatu contendit. Ibi, dum sparsos e fuga milites colligit, ac supplementa conquirit; Borbonius nequaquam in perniciem Gallici sanguinis exardescens, ab tergis palatorum insectandis abstinuit. ceterum ejus cladis nuntius ut primum Lutetiam est allatus, incolas pariter ac peregrinos tantus inopinanter mœror ac terror invasit; ut defixis humi oculis inopes consilii, & summæ rerum plane diffisi torperent. Neque dubium ulli fuit, quin si se victor ab acie protinus ad Urbem duxisset, irrupturus illico fuerit. Sed rursus vastitatem, & exitium clarissimæ Urbi metuens, quam sibi quoad fieri posset intactam, illibatamque servari cupiebat; Cives in alienatione obduratos, inopia potius & fame domare, quam ferro delere constituit. Ea res fœderatis laxamenti nonnihil dedit, animique ad omnia experienda, priusquam Regem ab Ecclesia Christi sejunctum intra muros acciperent. Ergo ad Mayneum Cajetanus, & Hispaniensis Orator Bernardinus Mendoza, quique capita rerum Parisiis erant, partim solandi hominis caussa, partim consultandi de Republica, convenerunt. Placitum uti certa imminente rursum obsidione Mayneus ad petenda fidelia, firmaque auxilia Farnesium adiret ipse, de statu ancipiti rerum Pontifex Maximus, & Hispaniæ Rex quamprimum edocerentur; uti Urbs, & novis operibus, ac stationibus, & omni commea-

tus

ius genere firmaretur. Sub hæc decreta Mayneus in Belgium abiit. Nemorensis Dux uterinus Maynei frater, custodiæ Urbis cum externorum equitum ala una, peditibus circiter mille præpositus; dispositæ in mœnibus, portisque vigiliæ; refecta, ubi opus erat, propugnacula, & muri. Quæsitum ab Cameraco frumentum; variæ fruges, & cibaria ex finitimis agris convecta; sed præ magnitudine Urbis, & incolentium numero perexigua. Omnia, ut in Civitate discordi, & legitimis orba magistratibus, segniter ac negligenter acta. Illud quidem Parisienses toto ferme obsidionis tempore egregie præstiterunt (& est in universum Gallica natio mire ad pietatem propensa) uti supplicationibus, lacrimis, jejuniis, & cœtera corporis maceratione collecte, numen, superosque propitiare contenderent. Cajetanus interea e Sixti præcepto Vindocinium, & Lenuncurtium Cardinales, Episcoposque complures, & Catholicam nobilitatem precibus, ac minis a latere Navarræi frustra nitebatur abstrahere. cum ipsimet ultro Cajetanum per epistolas, perque interpretes ad Regem (uti ajebant) optime animatum invitarent; & in Christianæ rei caussa, retinendique Regis in suscepto conversionis consilio, sese eidem adesse persancte affirmarent. Et Sixtus partim a Luxemburgio coram, partim ab iisdem regiis, qui sese Borbonio parati ad ejurandam hæresim animi sponsores, atque obsides offerebant; per literas monebatur identidem quanta & virtute militari, & studio optimatum superior fœderatis esset is, quem adversarii, & perfidiæ nomine in suspicionem vocare, & in re bellica verbis obtinere niterentur. Ejusmodi vocibus cum dies, noctesque obtunderentur Pontificis aures, dubia utrimque argumentorum fide; ad extremum ipsemet, quo erat usu rerum, & ingenti solertia, reputare cœpit apud se, quam sint ob privatos cujusque respectus fluxæ, & instabiles belli societates; quam parvi momenti, precaria, nec suis radicibus alte defixa potentia. In suspicionem præterea venerat Mayneus affectati (ut supra dictum est) obtentu religionis, Imperii. Simul obversabatur Hispanorum dominandi cupiditas, quibus opponi Galliæ Regnum, & exæquatæ Summorum Pontificum vires e Republica ducebat esse: modumque statui genti, non tantum in florentissimis Italiæ ditionibus; verum etiam in ipsa Romana Ecclesia arbitratu suo pene cuncta versanti. Hisce Pontificis Maximi cogitationibus intervenere per eos dies privatæ cum Philippo Rege offensiones, quas Austriaco nomini infensi callidi homines, & aulæ periti, miris artibus acuebant. Ergo paullatim effectum est, ut Sixtus, qui sese initio valde severum, ac rigidum in Regia caussa præbuisset, demitigari quotidie, & benigne cœperit Luxemburgio polliceri. Eodem tempore & Carolus Cardinalis Borbonii patruus, quem

in custodia diligenter ab eodem asservatum Parisienses Regem inepte creaverant, excessit e vita: & Sixtus clam syngraphis e Gallia revocatis non modo fœderatos in recenti apparatu, & ardore belli, sed Cajetanum ipsum nihil minus opinantem in media legatione destituit. Eo fidentior Henricus ad premendam obsidione Lutetiam sine mora sese convertit. Peditum exercitæ fere militiæ duodecim millia, lectissimorum equitum quatuor jam habebat in armis. Hoc exercitu circumjecta Parisiis oppida, & Castella præsertim imposita fluviis occupare perrexit. Prodita brevi sunt aliquot: nonnulla expugnata: cetera in fidem voluntaria deditione venere. Obstitere aliquandiu Dionysiani (quos tamen furto recepit) & Leonenses, quorum a mœnibus cum clade repulsus est. Ceterum quo arctior Parisiis annona foret, agrestem quoque turbam intra mœnia compulit: & vagus eques perpetuo discursu cuncta perlustrans, non subvectiones tantum, sed etiam tabellarios commeantes arcebat, ut ad inclusos quid a Mayneo, sociisque ageretur, parareturve, penetrare non posset; multæ gravioribus de rebus interceptæ literæ, & qui perferendas acceperant male mulctati. Cum ipsemet Henricus interea per publica, & secreta colloquia, & per epistolas Civium in suscepta propugnatione constantiam alternis blandiendo, minandoque convellere niteretur. Sed intenta cura cavebant primores ne quid tale ad multitudinis aures perveniret. Verum clausis, uti dicebamus, aqua, terraque itineribus, brevi rerum omnium inopia laborari Lutetiæ cœptum: salsamentis, ac frugibus, herbisque consumtis; equi etiam, & jumenta, fœdaque alia relatu animalia, in alimenta cessere. Inde miseros paullatim non homines, sed hominum umbras, ac simulacra, neque ex infima tantum plebe, sed ex honestis quoque familiis passim vel cibi aliquid, flebilibus modis emendicantes, vel humi stratos, agentesque animam quotidie cerneres. Interdum etiam ægre compressi motus, facto ad Curiam concursu, aut panem aut pacem precibus iratis flagitantium. Non exiguam tamen turbam, ut in præsentibus angustiis, alendam illustres viri, feminæque diviserant inter se, ac in iis Mendoza, quo cum Cajetanus benignitate certabat, circumiens insuper quotidie vicos, plateasque populum exporrecta semper, ac serena fronte, & propinqui auxilii spe, & cetera accomodata ad tempus oratione sustentans. Quinque admodum menses obsidio tenuit: jamque ad extrema ventum erat, despondebantque animos cuncti; cum denique in exitu Augusti mensis ab exploratoribus repente affertur mota profecto Navarræi castra, & patere campos. Farnesius ipsemet Philippi jussu, obtestante & comitante Mayneo, florentissimum exercitum adduxerat; viginti millia peditum bello durata, equitum ad quatuor millia numerabantur: ad quos adjuncti

juncti Mayneani summam ferme triginta millium effecerant. Ad ejus exercitus famam Borbonius auctus & ipse viribus, quod victoriæ expectatione commoti ad illum Gonzaga Niverniensium Dux, aliique nuper accesserant, obviam ire hosti, & si occasio daretur, prælio decertare constituit. Duodeviginti millia peditum, equitum varii generis millia ferme sex habebat in armis. Cum hisce copiis relicta Lutetia progressus ad Cellas (id pervetusti Virginum Cœnobii nomen est) tutissimo loco ex arte consedit. ab dextera, a lævaque assurgunt colles, densa vallem claudit silva; uti neque ab lateribus urgeri, neque a tergo circumveniri ullo modo posset. Ibi modica quiete sumta, non magno ab hostibus intervallo ita suos instruxit. in utroque tumulo Germanos Helvetiosque pedites cum tormentis aliquot campestribus locat: equitatum, cui præerat ipse, in media valle disponit; præteritis Vasconum cohortibus, queis maxime confidebat, uti post emissa in adversos tela intra equitum ordines, ad fistulas replendas subinde sese reciperent. Per hunc modum ostentata acie Farnesium aliquoties ad pugnam provocare perrexit. Ille item inter Matronam fluvium, & paludem ex proximo rivo manantem, castra egregie communierat: & satis magnum operæ pretium solutam sociorum obsidionem ratus; animadversa locorum iniquitate, intra vallum copias continebat. Cum aliquandiu uter alterum provocaret ambigui constitissent; ad extremum Farnesius ad oppugnandum Lagniacum, quod valido præsidio tenebatur, delectas aliquot cohortes trans flumen mittit, ac simul tormentis mœnia quatere insistit; si forte Borbonium illa oppugnatio ad opem inclusis ferendam, ex abdita valle in patentiora loca posset elicere. Neque is captam stationem deserere ausus. Ita in ejus oculis fremente nobilitate Lagniacum expugnatum; quingenti fere lectissimi viri, capto Præfecto, cæsi; diruta mœnia; oppidum spoliatum. At Farnesius quidem ab hoste palam expressa timoris confessione contentus, ab lacessendo ultra Borbonio sapienter abstinuit. At ille satis comperto Parisienses Farnesianæ opis fiducia gratulabundos in custodia Urbis negligentius agere; furtim audendum aliquod ratus, scalarum vi quam occultissime comparata noctis intempestæ silentio, relictis repente castris recta Jacobæum Suburbium invasit; inde circa finem quartæ vigiliæ, & nebula, & incerta adhuc luce tegente inceptum, scalæ ad eam partem muri, quæ Sanctorum inter Jacobi & Marcelli portas attollitur, admoveri cœptæ. Sensere vigiles, & ex hostibus unus, aut alter, qui jam in summum evaserant, ac descensum in Urbem parabant, scalis exuti, hastis, umbonibusque alte præcipitati sunt. Simul ad arma conclamatum; & patefactis insidiis irrito conatu Henricus abscessit. Maximo tum in discrimine Parisien-

ses

ses fuere, neque ambigebatur, quin si pluribus simul locis tentatus foret ascensus, inter tumultum, ac terrorem, aliqua saltem Urbis pars occupari potuerit. Servatæ universæ decus tulere Jesuitæ, quorum per id tempus erat celeberrimum in Academia Parisiensi Gymnasium. Ii, ut arctis rebus, cum populari manu id ipsum spatium in muri defensione sibi consulto delegerant: dilapsis dein præ defatigatione, ac tædio reliquis, insomnes ipsi cum Scoto quodam Jureconsulto in custodia perstitere; ac per eum, quem dixi modum instante, ac rem acriter gerente in primis Joanne Lorino Avenionensi, qui sacras dein literas Mediolani, ac postmodum Romæ professus est, accensum populi pertinacia, furentemque hostem ab Civium fortunis, atque cervicibus repulere. Scalæ militares ingenti plebis concursu, plausuque ad Collegium Sociorum delatæ, monumentum in aliquod tempus egregio fuere facinori. Quæ res infensum jam ante Jesuitis Navarræi animum vehementer offendit. Jamque ingruerat Autumnus, & magna nobilium pars (quippe sine stipendio militabant) ad res domesticas intervisendas de more discurrerant; graves de suo fiscos in castra postmodum relaturi. Borbonius reliquas interim copias in loca opportuna divisit, ac Sancti Dionysii oppidum in primis selecto milite insedit. Farnesius inde camporum potens, levatis inopia præsenti Parisiensibus, navigationem insuper, & commeatus imposterum aperire decrevit. Amnicos primum aliquot vicos, & Castella sine sanguine in potestatem redegit. Mox Corbellum oppidum apprime validum, præcipua Sequanæ claustra operibus, ac tormentis aggressus, capto, vel trucidato præsidio, paucos intra dies Mayneo, sociisque restituit: inde liberata Lutetia fulgens, ad reprimendam Batavorum ferociam incolumes copias in Belgium reduxit. Hæc ferme in Celtica. Neque ceteris Galliæ partibus erat quies. Lugdunenses adjuncti Burgundiis in Janvillano fœdere stabiles cum Borbonianis gerebant bellum Sanforlinio armorum præfecto Narmurcii fratre, quem Lutetiæ præfuisse retulimus. Gratianopolitani in Delphinatu, Aquenses in Provincia Narbonensi cum ab Hugonotis acriter premerentur, viribus impares, patronum ac defensorem, dum Henrico Tertio Rex novus e communi Catholicorum voto succederet, asciverant sibi Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, qui Gallica matre Regiæ stirpis ortum sese haud immerito glorians, si res ad suffragia deducta foret, haud dubium se Regni competitorem ferebat. Is cum exercitu Alpes transgressus Forum Julii in ora Narbonensi prænobilem Urbem furto occupavit, impositoque præsidio Hispaniensi, dum ab re bene gesta redit incautior, magnam ex improviso regiorum occursu cladem accepit. Elapsus inde Nicæam retro summa celeritate contendit; assumtisque cohortibus aliquot Hispanici

panici, & Italici generis in Provinciam regressus, omnisque honoris, & officii genere ab Aquensibus in urbem introductus, Imperator est appellatus. Idem a Marsiliensibus accersitus, quod intestinis discordiis Civitas ea ferveret, aliisque e Navarræa factione certavit. Tolosates in Vasconibus, aliique populi Parisiensium auctoritatem sequuti Joyensiis ducibus cum Mommorantio Annæ filio. Is Henrico Tertio infensus Occitani tractus imperium ante multos annos invaserat; de finibus quotidie dimicabat. Emmanuel Lotharingius Mercurii in Alvernia Dux, traditam sibi ab Henrico Britanniam Armoricorum procurans, tria peditum millia ex Hispania nuper acceperat; Avenionenses, ac Venaisini, quamquam invigilante, ac subveniente Romano Pontifice, cujus in ditione sunt; tamen semper pavidi, semperque soliciti ab circumquaque latrantibus Hugonotis pacem annuo tributo redimere, hostemque ipsum pecunia instruere cogebantur. In universum Gallica nobilitas, uti supra memoravimus, ad Henricum inclinabat; ceteri comitiorum inani expectatione delusi, partim sese gerebant medios, partim fœderatis impense favebant. Hic erat Gallicæ rei status. In Belgio Mauritius Batavorum ductor hieme sæviente, priusquam Farnesius in Galliam abiret, dolo Breda potitus est, urbe non levis ad omnia momenti, per negligentiam custodum noctu clam immissis in arcem institoria navi militibus, ac repente interfecto præsidio, quod Italica ferme natione constabat. Custodes Urbis, uno tantum excepto Capra Vicentino, quod in recuperanda protinus arce, vel certe expectandis e propinquo auxiliis timide se gessissent, a Farnesio animadversionibus, & ignominia notati; quidam etiam securi percussi. Recrudescente dein bello, cum oppida, Urbesque acerbis exactionibus, aut rapinis agri, vicique funestis utrimque populationibus urerentur; silerent leges, Christiani ritus, & instituta in dies magis, magisque obsolescerent; tantæ calamitatis haud immerito miseratus Cæsar, adhortante Romano Pontifice, pacis interpretem ac sequestrum sese rursus exhibuit. inani, uti antea sæpe, conatu; cum Batavi diuturno armorum usu obdurati, minime tolerandam regiorum satellitum dominationem, nec nisi pulsis ad unum Hispanis, quietem Belgio redituram, salvasque fore sibi suas leges, & avita jura contenderent: regii contra fallacibus conditionibus jam ante decepti, nonnisi perdomita contumaci natione, ac sincero Dei cultu restituto, sese domum redituros negarent. Et oneravit per eos dies Mauritius adversariorum invidiam oppidis aliquot, quæ nuper in Clivienſi ditione occupaverat, Gulielmo Duci sponte reddendis, cum ipsi quæ Archiepiscopi Coloniensis accitu circa Rhenum insederant, variis dilationibus pertinacissime tuerentur. Inde per Vestphaliam, vicinasque regiones conciliabula gentis

ha-

haberi cepta, non de Hispanis tantum undique exterminandis, verum etiam, quod erat longe capitalius, de religione per speciem libertatis, omnino solvenda. Vehementer etiam cum Senatu Coloniensi actum, uti Calvinianis ad sacrilega celebranda sacra tandem ædes intra eam Urbem publice assignarentur. Ad hæc in Cliviense Imperium, Gulielmo ætate jam confecta, Joanne filio commota mente ad regendos ultra populos nequaquam apto, hæretici proceres per filiarum Gulielmi nuptias imminebant. Hisce consiliis ausisque Octavius Calatinus Episcopus Sixti nomine apud Coloniam agens, cum ipse ab ejusmodi cœtibus arceretur, per idoneos viros sapienter æque ac feliciter obstitit. Simul peditum, equitumque nubes, quas hæretici Dynastæ in Janvillanum fœdus denuo superbe jactarant, permixtarum cladium, & voracis impendii reputatione depulsæ. Angla Christianæ discordiæ fax, Germanici, & Polonici litoris quæstuosa commercia, non sine aperto rectæ fidei discrimine dudum summo studio captans, ne conscelerati voti compos existeret, Sixti Pontificis vigilantia, & Sigismundi Regis eximia pietate perfectum est. Et Theodoricum Salisburgensem Archiepiscopum inter, & Gulielmum Bavariæ Ducem de salis exportatione, vectigalique acris perquam alieno tempore exorta controversia, Alphonsi Vicecomitis, cum a Sixto Nuntius Pragam peteret, opportuno interventu sedata. Sub idem tempus non uno loco, sed Aquisgrani præsertim, & Argentorati, Catholicus grex ab seditionum auctoribus, nequicquam interminante Cæsare, gravia multa, & indigna perpessi: & prodigii loco habitum, quod paucos intra dies Noviomagi, Batavis oppugnationibus sacra Sancti Stephani turris elegantissimæ structuræ in Urbe fere media crebris tormentorum ictibus ingenti cum fragore procidit; & Bonnæ Laurentinum inclytæ nobilitatis templum de cælo tactum, liquatis repente plumbeis tegulis, licet oppidani ad restinguendos ignes catervatim accurrerent, horrendo incendio conflagravit. Interea Græcii diem obiit extremum Carolus Archidux, egregia probitate, sed impar nobilium cupiditati minisque, impunitatem non Augustanæ modo confessioni, verum etiam Calvinianæ ceterisque promiscue sectis, aliorum exemplo, jampridem extorquere conantium: & Romæ circa exitum Augusti Sixtus e vita decessit, non tam senio, morbove consumtus, quam animi angore, curisque ob suscepta recens cum Philippo Rege certamina. Ejus morti Borbonium non levi spe destitutum ingemuisse fama est. Cajetanus ad Romana comitia Parisiis in Italiam extemplo rediit, Vicario Legationis relicto Philippo Episcopo Placentino partibus fido, quique Gregorii ac Sixti missu per varias occasiones, non vulgarem consuetudinem, amicitiamque cum Austriaca gente contraxerat.

Libri Tertii Finis.

CODICIS MANUSCRIPTI


Aliqua loca vel emendata, vel emendanda, recte, nec ne apud lectores judicium esto.

Pag. 12. lin. 22.	*injussa*	*injussu*
Pag. 16. lin. 8.	*cum signis* melius	*sub signis*. Ita Maffejus pag. 59.
Pag. 20. lin. 31.	*facto*	*factu*. Ita codex Parmensis
Pag. 21. lin. 36.	*admirationem*	*dimicationem*. Parmensis
Pag. 25. lin. ult.	*naufragii*	*navigii*. Parmensis
Pag. 39. lin. 25.	*pertentata* fortasse	*pertentando* scribendum
Pag. 40. lin. 10.	aliqua desunt	
lin. 15.	*missus*	*missu*. Ita Maffejus pag. ult. & sensus postulat
lin. 21.	*factis*	*facti*
Pag. 41. lin. 34.	*ducturus* nunquid	*erupturus*, vel simile participium?
Pag. 42. lin. 5.	*sollicitus* participio	*erat* expressum congrueret
lin. 28.	*possidendam*	*possideri jam*
Pag. 43. lin. 29.	*cognoscendum*	*recognoscendum*
Pag. 44. lin. 36.	*denique*	*deque*
Pag. 45. lin. 3.	*exclamant. pavidique Antuerpienses ignes.*	*Exclamant pavidi, atque Antuerpienses ignes.*
lin. 18.	*præruptis* mallem	*perruptis*
lin. 38.	*florentina*	non assequor vocem
Pag. 49. lin. ult.	*quo* mendum pro	*qui*
Pag. 54. lin. 8.	*dimiserat*	*diviserat*
Pag. 57. lin. 7.	*& syngraghis*	*e syngraphis*
lin. 19.	*alijs*	*atque*
lin. 28.	*Mayneus quem*	*Mayneum*
Pag. 58. lin. 36.	*circum Rhenanam provinciam:*	*Circumrhenana provincia*
Pag. 59. lin. 17.	*auctis* subrogarem	*aucta*
Pag. 61. lin. 9.	*præstitissent*	*præstiterunt*
lin. 18.	*collecte* nonnisi divinando emendaverim	
lin. 33.	*exæquatæ* videtur mendosum	
Pag. 65. lin. 4.	hæret sensus	
lin. 9.	*Armoricorumque*, *Armoricorum*, vel *Armoricamque*	

pro *Condeus*, *Condeanis* passim vulgatius *Condæus Condæanus*

Errorum typographicorum obvia legentibus emendatio.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 059970217




6
7
8
9
10
11


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 059970217